dum sit; denique non futurum, ut quisquam exprobret Deum, quem colant religiose, infirmum ac debilem esse, aut suorum res negligere. Sed & vitandam prædicere potest intelligi multiplicem confusionem ex sterilitate, de qua in Deuteronomio a; quia deficiente prole, recurrendum erat ad fratrem, qui eam suscitaret; qui si nollet, defuncti uxor *tollebat calceamentum de pede ejus coram senioribus, spuebatque in faciem ejus, & vocabatur nomen illius domus discalceati*. In libro quoque Numerorum b lex est de translatione hæreditatis, ob defectum filii ad filiam, ob defectũ filii ad fratres primũ uterinos, tũm ad fratres patris. Acclamatio est ista secundùm mysticum sensum ad Christum, qui vere felix prædicatur, quod ex filiis antea descriptis impleverit desiderium suum, perducendo ad finem destinatum, tamquã sagittas excussas valide, & perite ad metam, nempe ut consequerentur gratiã & gloriam tot laboribus pro illis procuratam: unde fiat, ut minime confundatur, loquens in amplissima porta & conventu totius mundi, quum venerit ad judicium inimicis, tũm dæmonibus, tũm reprobis hominibus, sed confundat utrosque, convictos impotentiæ ac injustitiæ. *Loquentes* præterea *in porta*, accipit Augustinus, Prosper, alii, evangelizantes in Christo, qui est ostium & janua intrantium Dei regnum: eorum vero inimici, qui prædicationi resistunt, excluduntur ab ingressu: beatum esse, atque beatitudinis Apostolicæ participem fieri, qui ea concupiscit, quæ illi desiderando adepti sunt, & adipiscendo docuerunt. Hilarius *beatum* exponit, *qui desiderium suum* potuerit *implere* vel ex ipsis sagittis desiderabilium verborum divinorum, vel de *filiis excussorum*, vel de speratis fructibus futurorũ bonorum; non confundendos (legit enim pluraliter) ex *filiis excussorũ* ullos, quum loquentur in porta civitatis per prædicationem à Domino ædificatæ, & *exaltati de portis mortis annunciabunt omnes laudes ipsius c*, arcebũtur autem à porta regia, Dominica, cœlesti, justitiæ, per quam soli *justi intrant d*, fidentes, & nulla fidei suæ ac religionis ambiguitate trepidantes prohibebunt inimicos suos ab ejus aditus, ingressuque, & exprobrabunt illis impietatem in Deum, in obedientiam in prædicantes, infidelitatem, in æterna promissa, odia in innocentes, in ipsa Ecclesiæ membra sævitiam. Non confunditur Christus in suis, quos *non confunditur vocare fratres e*, quum loquitur per eos inimicis, dando illis os & sapientiam, cui non possint resistere & contradicere omnes adversarii f. Si namque loquuntur in eis Spiritus sanctus, qui persequentibus tradũtur pro Christo, cur non, inquit Augustinus g, & in eis, qui tradunt discentibus pro Christo? Erit iste *operarius inconfusibilis, recte tractans verbum veritatis h*. Servi David ab Hanon *secundùm dimidiam partem barbarasi, & præcisis eorum mediis vestibus usque ad nates, confusi turpiter valde* dicuntur; i quanto major confusio, pudor, ignominia, cui diabolus veluti præciderit dimidiam partem, immo vel unicum ex mandatis divinis, quæ valent ad tegendum & ornandum? Non potest implere desiderium ex bonis divinis, nisi qui fundat id, quod portat, & sic fiat capax ad id, quod non habet, ut ait Augustinus. Qui sæculi desiderio plenus est, non est, quo intret Deus cum suis bonis. Applicat alibi Chrysostomus k istam sententiam ad desiderium cognoscendi scripturas divinas, cujus impletio beatum reddat. Gaudentius l Brixiensis ad prędicationem per *sagittas* designatam, recipientibus ipsam, beatitudinem conferunt, sicut è contrario damnationem iis, qui rejiciunt. Alii ad eos, qui desiderium suum impleverint ex exemplis illorum qui dicti sunt similes sagittis, ac *filii excussorum*, hoc est, expediti ab omnibus impedimentis, & in bonis operibus agiles. Item quidam ad parentes, qui filios habeant à se institutos ac morigeros tamquam sagittas, & sibi similes in eo, quod etiam sint excussi ab iis, quæ possunt esse impedimento, in sapientiæ virtutisque acquisitione.

a cap. 25. 5. & seqq.
b cap. 27. 5. & seq.
Sensus mysticus.
c ps. 9. 15
d ps. 117. 19
e Hebr. 2. 11
f Matt. 10. 19. 20. Luc.
g 4. de doct. cap. 15
h 2. Tim. 2. 15
i 2. Reg. 10. 4
Sensus accommodaticius
k hom. de patre & cuibus filiis
l præfat. ad Benivol.

*Beatus vir.*) Hebræum nomen גבר *ghever* simile est nomini גבור *ghibbor* in priore versu; qui Latinè dicebatur *potens* Græcè δυνατός. Aquila & Symmachus addunt hoc loco ἀνήρ. quod omissum est à LXX. Monet autem Hieronymus m in Hebræo, & in LXX. interpretibus manifeste contineri. Quod tamen in Hebræa editione correcta restitutum non est. Sub viro fœmina comprehendi solet, quãvis quod attinet ad filios, de quibus hìc agitur, vir, maritus, paterfamilias præcipua caussa sit, & magis cum attingat beatitudo ex stirpa valida, generosa perfecta. Quã quam in vetere Psalterio, & apud Augustinum nomen *homo*, extat, utriusque sexus. *Gloria filiorum patres eorum n: pater in filio fatuo non lætabitur o; sed ira ejus in filio stulto, sicut dolor matris, quæ genuit eum p: filius sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mœstitia est matris suæ q; filius sapiens doctrina patris r, & dolor patris filius stultus s; justus, qui ambulat in simplicitate, beatos post se filios derelinquit t: Deus honorat patrem in filii u, sed melior est unus timens Deum, quam mille impii, & utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios x, confusio patris est de filio indisciplinato y*: Inter *decem insuspicabilia cordis*, quæ Sapiens z, *magnificavit* ὑπονοήματα *cogitata*, quæ ἐμακάρισεν ἐν καρδίᾳ *beatificavit* (legit forsan interpres ἀνυπονοήματα, de quibus videlicet nemo suspicari debeat, quin talia sint, qualia ipse judicat) prima duo asserit de *homine, qui jucundetur in filiis suis, vivens & videns subversionem inimicorum suorum*. Hoc secundùm simile est priori sententiæ. *Non confundetur quum loquetur inimicis suis in porta.*

m epist. 135
n Prov. 17. 6
o vers. 21
p vers. 25
q c. 10. 1. & 15. 20
r cap. 13. 1
s cap. 19. 13
t cap. 20. 7
u Eccles. 3. 3
x cap. 16. 3. 4
y cap. 25. 9
z 10

*Qui implevit desiderium suum ex ipsis,*) Hieronymus, *pharetram*, testaturque a, exceptis LXX. & in Hebræo, & in cunctis editionibus reperiri eodem modo, ut qui metaphoram semel sumserat ex sagittis, & in pharetra quoque servaretur translatio. Apud eumdem b quoque legitur alibi in futuro; *implebit*, sicut, & in textu Prosperi. Est quidem Græcè futurum πληρώσει, & Latinè præterea sic legi in Gaudentio Brixiensi c: at Hebraicè præteritum מלא *mille*. Permutari solent tempora: & suspicio est mendosum locum esse Hieronymi, in quo est futurum, quum in translatione sua, & in epistola ad Marcellam habeat præteritum. Pro *desiderio* (*pharetram*) ab alio positam Chrysostomus quoque meminit, & videtur intelligere, quod significetur instructio armorum. Paraphrastes explanat locum totum, *beatus vir, qui impleverit scholam suam ex ipsis*, quasi domus boni patris familias, schola sit virtutis. *Pharetram* nonnulli d uxorem esse volunt, ut beatus censeatur qui talibus filiis, ut antea descripti sunt sua metaphora sagittarum, eam impleat, ac ex eadem generando educat. Melius & honestius pro domo ac familia sumitur. Cajetanus & Placidus recedentes ab aliorum sententia, *civitatẽ* interpretantur, & *beatum virum* dici Salomonem, quem hoc loco pater instruat, si pharetram suam, idest, civitatem curiamve impleat ex *filiis excursionum*, hoc est, ex mundis, excutientibus à se omnem immunditiam peccati. Nomen Hebræum cum affixo אשפתו *aspatho* significat *pharetram ejus*. Jeremias e appellavit *sagittas*, filias pharetræ quoniam in ea tamquam in utero conservantur; indeque promtæ mittuntur, velut proles in lucem. Sic Horatius f plenam sagittis pharetram cognominat gravidam.

*Nec venenatis gravida sagittis*
*Fusce pharetra.*

a epist. 141
b epist. 135
c præfat. ad Benivol.
d Sceprant
e Thren. 3. 13
f 1. Carm. Ode 22

Sapiens g autem insatiabilem meretricis libidinem comparat cum viatore, qui *sitiens ad fontẽ os aperiat, & ob omni aqua proxima bibat, & contra omnem palum sedet*, & addit, quod *contra omnem sagittam aperiet pharetram, donec deficiat*. Idem rursus Jeremias h, pharetram quasi sepulchrum patens cognominavit, ob copiam sagittarum in occidendo insatiabilium. Valentia, juxta translationem, quæ habet pharetram, cordis pharetram interpretatur, & spiritus, impletam ex sagittis missis ab Apostolis.

g Eccl. 26. 15
Meretricis insatiabilis libido cum viatore, qui sitiens ad fontem os aderit, & ab omni aqua proxima bibit comparatur
h cap. 5. 16

*Non confundetur.*) Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè in plurali, ut & in sequentibus, *quum loquentur*, atque ex Latinis legit sic etiam Hilarius. Singulariter, ille non confundetur, qui tales habebit filios: pluraliter, quicumque habuerint illos, aut etiam tales filii simul cum patre. Hieronymus in sua translatione retinuit numerum singularem, non solum is, qui sub ejusdem nomine circum fertur Auctor commentarii. Faber eumdem numerum pluralem adscribit quoque Gallicano Psalterio & Romano, nec non Hieronymiano. Hoc ultimum facit etiam Victorius, recitans Hieronymi Psalterium. In Vaticanæ Basilicæ Psalterio remansit singularis numerus. Facile fuit ut codicibus Hebræis additum sit ו *vau* efficiens pluralem numerũ, ut ex יבוש *javos* fieret יבושו *javoschu*, ex ידבר *jedabber* ידברו *jedabberu*. Non est hæc res tanti: ac sine ulla variatione concedi potest, placuisse Interpreti Latino uti numero singulari, quamvis reperit in Greco textu pluralem, sicut erat etiam in Hebręo.

*Quum loquetur inimicis suis in porta.*) Græcè ἐν πύλαις *in portis*. Chaldaicè, *quando contenderint cum adversariis suis in porta domus judicii*. Documus alibi i solita exerceri judicia in portis civitatis, & forum ibi rerum venalium constitutum. Caussam reddit Hieronymus k, Gregorius l, Philippus Presbyter m, quem dicunt alii Hieronymum, Theodoretus n, ne cogerentur agricolæ intrare Urbes, & aliquod subire dispendium, tantoque essent pacifici urbiũ populi, quanto ad hos discordes ingredi non licebat; ne litis caussa venientes, civitatum frequentia, & novo terrerentur aspectu, nec urbium habitatores longe ab iis properarent & subjectionem quærerent jumentorum. Ibi etiam recte velut excubabat justitia, ac sessitabat, tamquam in throno, quo venditabant incolæ & advenæ, ut monerentur nihil inique usquam agendum. Inter portas una erat, quæ Vetus vocabatur, eadem, ut nonnulli volunt, cum Judiciaria, ubi ad judicandum sedebant seniores, & extra quam sumtum creditur de damnatis supplicium ac per eam Christus ad id eductus. In ea porta David contra se locutos sedentes questus est a; ibi *nobilis vir mulieris fortis cum senatoribus sedebat b*. Sed Villalpandus c noster diversam contendit Veterem portam fuisse à Judiciaria, sive Judiciali, quæ etiam Custodiæ cognominabatur, atque istam templo & portæ Gregis vicinam, ac ad Orientem sitam. Quidquid sit, non in illa dumtaxat una exercita judicia, caussas actas, merces væniisse, constat. Bonum civitatis munimentum, custodiamque ab justitia, cum qua *justus Dominus, & justitiam diligens, vultu videt suo æquitatem d*. Hujus rei vestigium videtur hodie Turcica porta pro aula Principis. Sed falluntur, qui Janitiaros ex mancipiis Christianis in illa porta versantes, à janua derivant, cum Turcicè *Capi* janua vocetur. Nomen illud potius novos homines sonat, seu milites, quos appellamus *tyrones e*. Vera omnino Sagaristionis oratio ad interrogationem, quam essent munitæ Athenæ, nec indigna plane clausula, quæ psalmo imponatur, principio haud absimilis, in qua frustra vigilare decretum quemcumque hominem super vivitatis custodia, nisi Dominus ipse custodiret eam.

i in ps. 9. 15 ps. 68. 13. ps. 72. 28
Caussa cur solita fuerint exerceri judicia in portis civitatis, & forum venalium ibi constitutũ.
k in Amos 5 & Zach. 8
l 19. mor.
m epist. 2 paschali.

a ps. 68. 6
b Prov. 31. 23
c tom. 3. in Ezech. p. 2. l. 3. c. 18. & 23
d ps. 10. 8 ps. 16. 2
e Leunic. l. 8. Jovius de viris bell. virtute illustrib. Jacob Pont. progym. in Geo g. phramram Auctorez notatum ad Joan. Curopalatam de officiis Constant. paletii pag. 6. vers. 3 Calchondylas l. 1. Ultimi duo sunt in dicto errore.
f Plaut in Persa.

*f Si incolæ bene sunt morati, pulchre munitum arbitror,*
(*nempe oppidum*)
*Perfidia & peculatus ex urbe & avaritia si exulant:*
*Quarta invidia: quinta ambitio: sexta obtrectatio:*
*Septimum perjurium: octava indiligentia* (alii *indigentia:*)
*Nona injuria: decimum quod pessimum aggrasso scelus:*
*Hæc nisi unde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est.*

Hos dixi Cajetanum optimos hìc intellexisse civitatis custodes, quibus quum præsto adesset custos Deus, qui filii essent excussionum, idest, omnem ab se immunditiam excuterent & abominationem iniquitatis.

# PSALMUS
## CENTESIMUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

Canticum graduum

1. BEati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.
2. Labores manum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.
3. Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.
4. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.
5. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.
6. Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
7. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.



*Titulus, & Argumentum.*

Canticum graduum.

TAM fere apertum argumentum, quam titulus Et hic quidem communis est, semel satis diu ante declaratus. In Psalmo autem isto exponitur, quæ bona consequatur is, qui timet Deum. Et si vero temporalia bona exprimantur, magis propria & convenientia hominibus veteris Testamenti, possunt quæ hìc dicuntur, saltem sensu mystico, de spiritualibus bonis exponi. Quem sensum Hilarius, Augustinus, Arnobius, dictus Hieronymus, Cassiodorus, Latini fere alii, maxime persequuntur, ne quis offendatur, si viderit timentes Deum bonis in psalmo promissis, ac temporaliter acceptis, destitutos. Græci porro aptam connexionem observant, cum fine psalmi præcedentis, in quo prædicatus est *beatus, qui desiderium suum implesset ex iis*, quæ ibi dicebantur, hic namque prædicari, atque describi magis universalem & perfectam beatitudinem. Sunt etiam, qui g sicut priorem psalmum attribuunt sanctimoniæ gradui, quem conscendere, vel in quo versari debeant Ecclesiæ præsides, ita nunc proponi afferant justitiæ gradum, ad quem conjugatos oporteat contendere, ac in eo ambulare. Usurpat hunc psalmum Ecclesia, præter Officium parvum beatæ Virginis, & vespertinum de Corpore Christi, in Missa pro sponso & sponsa, tamquam epinicion nuptiale, epithalamium quoddam, & Antonius h hoc themate proposito disserit de statu conjugatorum. Valent ad spirituale quoque conjugium contenta psalmo isto, & extendi possunt ad quoslibet justos, ac timentes Deum. Annumerat Athanasius psalmis [illegible], *beatitudinem resonantibus*, & qui sint apti volenti μακαρίσαι τινα, *beatificare*, aut *beatum prædicare aliquem*. Sermo Zenoni Veronensi super hoc psalmo tributus, nihil omnino discrepat ab Hilarii commentario, sicut de priore psalmo monui.

Titulus cum superioribus communis. Argomentum.
g Ciconia; Jansenius.
h 3. p. tit. 1 cap. 1

*Vers. 1.*) Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

UTinam tam facilis factu sententia hæc esset, quam intellectu. Generalitas autem illius indicat observari à multis posse rationem obtinendæ beatitudinis, quæ est Deum timere, atque ambulare in viis ejus. Quod etiã hoc illi conjungitur, ostendit qualem requirat timorem Propheta. Quocirca observat Hilarius, quotiescumque de timore Domini in Scripturis est sermo, numquam solitarium eum relinqui, tamquam sufficientem nobis ad consummationem fidei; sed subjici multa, aut anteferri, ex quibus timoris Domini ratio, & perfectio intelligatur. Probat id ex Proverbiis i, ubi multis ad timorem Domini gradibus pervenitur. Deinde ostendit non ita esse de timore naturali, qui non docetur, sed ex natura infirmitatis occurrit, & injiciunt eum illa ipsa nobis, quæ timentur. Adhæc ait, si timeatur Deus, quia plura fulminibus arserint, prostrata sint, terræ motu consederint, hiatu recepta sint, nullum fidei meritum in eo timore esse: nobis timorem Domini omnem in amore esse; (nempe vere ac absolute meritorium, quum alioqui servilis etiam bonus esse possit, & nonnullam habere meriti rationem) quodque metus Dei dilectio perfecta consummat. Postea convenientia & congrua præsenti sententiæ psalmi profert ex Deuteronomio K, *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, &c. ut bene sit tibi*. Tandem vias plures affirmat esse in lege, Prophetis, Evangelistis, Apostolis, (idest, horum scriptis) præterea in diversis præceptorum operibus, in quibus per timorem Dei ambulantes beati sunt: sed unam viam esse Christum, ut ipsemet de seipso dixit l, quia *nemo potest venire ad Patrem, nisi per illum m*. Jeremiam n quoque notat indicasse plures illas vias in unam viam undique congruentes, quando scripsit, *State in viis Domini, & interrogate semitas Dei æternales, & videte quæ est via bona, & ambulate in ea*. Multæ itaque viæ, inquit, interrogandæ sunt, & in multis insistendum est, ut unam, quæ bona est, inveniamus: per multorum scilicet doctrinã, unam viam vitæ æternæ repertur. Quod etiam

Sensus loci.
i cap. 21. 2. 3. 4. 5
Timor Domini omnis nobis in amore esse debet.
K c. 10. 12. 13
l Joan. 14. 6
m cap. 6. 44
n cap. 5. 16

etiã Theodoretus docet in commentario Jeremię: Quemadmodum enim, ait ille, una est via, quæ deducit ad maximas urbes, quam Regiam appellare solemus; ad hanc porro semitæ quædam à pagis & agris defluentes dirigunt: sic una est via, quæ ducit ad Patrem, nempe Unigenitus Filius Dei: at beati Prophetæ, (idem judicium de aliis) veluti semitæ quædam ducunt ad hanc eos, quibus per hæc ire libuerit. *Peccatoris oculi sunt in viis ipsius*, ut Job a asserit, & abutitur pœnitentiæ loco in superbiam, quem dat illi Deus, Dei autem vias refugit. Vias suas peccator intuetur, inquit Gregorius b, quia sola cogitare, sola cernere nititur, quæ sibi ad commodum temporale suffragentur, *quærens quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi* c. Id esse docet cum Salomone d habere more *stultorum oculos in finibus terræ*, hoc solum tota cordis intentione conspiciendo, per quod ad finem terreni desiderii perducantur: non autem quod convenit sapienti, *in capite suo* e, considerando illum tota intentione, cujus se membrum esse per fidem pensat. Denique Davidem nostrum humanæ conversationis vias videre contemsisse, quum diceret f, *in mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas*, idest, quæ mea sunt cidere jam refugio, quia per imitationis tuæ viam pergere, conversionis gressibus inardesco. Christum has vias sequentium se monstrasse oculis, dicendo g, *Si quis mihi ministrat, me sequatur. Abit impius vagus in via cordis sui* h. *Vilis fit iterans vias suas* i. Omnes attingit hæc sententia, non tantum contemplativæ addictos vitæ, quasi spectent, quæ sequuntur, ad illos, qui occupantur in activa. Non etiam timor respicit proprie negativa pręcepta, ac fugam malorum, ambulatio in viis, affirmativa præcepta, exercitiumque bonorum; timor pietatem ac religionem, viæ virtutes reliquas illi fundamento innixas. Amplectitur omnia timor æque, ac vitæ, & quæ ad fidem, & quæ ad mores universe pertinent. Sæpius egimus de Domini timore ac viis: de distinctione quoque varia timoris naturalis, qui est indifferens, humani, sive mundani, qui malus: servilis, qui potest bonus esse: initialis, qui cum amore admiscetur: filialis, sive casti ac reverentialis. De his hoc loco Hugo & Ayguanus. Priore etiam filialis effectus enumerat undecim descriptos in Ecclesiastici capite 34. ubi Auctor pronunciat * *timentis Dominum beatam animam*: & alibi, k *nihil melius illo, nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini*. Addit alios novem effectus, evacuationem timoris mali, lætitiam cordis, custodiam ejusdem, finalem benedictionem, plenitudinem cognitionis divinæ, promtitudinem obedientiæ, diligentem inquisitionem voluntatis Dei, cordis sanctificationem, longanimem patientiam. Esaias l uno verbo comprehendit omnia, vocans *timorem Domini thesaurum illius*, & rursum citatus ante Auctor m, asserens, quod ille *super omnia se superposuit*. Postremo *Domini vias* docet Hugo esse misericordiam & veritatem; *mandata* innocentiam, quæ vocatur etiam *via immaculata*, pœnitentiam, quæ dicitur *via arcta*, quamvis virtutem præcipuæ charitatis, quæ appellatur *excellentior via* n: has, & similes *vias Domini esse pulchras & semitas pacificas* o. Præ aliis, de timoris distinctione Augustinus hoc loco legendus, ex quo ceteri mutantur. Illud summi momenti, quod scribit, (Si Deus veniens voce propria loqueretur nobis, quamquam non taceat per litteras suas, & diceret homini, peccare vis, pecca, fac quidquid te delectat; quidquid amaveris in terra, tuum fiat; cui fueris iratus, intereat; quem rapere volueris, rapiatur, quem cædere, cædatur; quem damnare, damnetur; quem possidere, possideas; nemo tibi resistat, nemo tibi dicat. Quid facis? nemo, Noli facere quod velis; nemo; Quare fecisti? abundent tibi omnia ista terrena, quæ concupisti, & vive in illis, non usque ad tempus, sed semper; faciem tantum meam numquam videbis.) Subdit mox (Fratres mei, unde ingemuistis, nisi quia jam natus est timor castus, &c.) & dicit, (Immo tollantur omnia, & faciem tuam videam, &c.) O quanto plures nunc interrogati responderent, Faciem tuam videre non curo, sint hæc mihi potius cuncta, immo vel ad tempus, dum postea moriar more bruti, absque pœna post mortem. Legatur Antonini p expositio circa hunc versiculum. Demonstrat principium salutis timorem Domini esse, ne quis ei super omnia dilecto displiceat. Deinde per *vias* intelligi diversos status, modos, conditiones vivendi; Ecclesiasticorum, quorum via sit paupertas spiritus; Doctorum, quorum humilitas; solitariorum, sive pœnitentium, quorum luctus pro se, aliisque; Principum sæcularium, quorum justitia; divitum,

a cap.24.2 · b 17.moral. c.4. vel 5 · c Phil.2.21 · d Prov.17 24 · e Eccles.2 14 · f ps.118.15 · g Joan.12 26 · h Esa.57.17 · i Jerem.2.36 · Distinctio timoris. · Filialis timoris effectus undecim. · * vers.17. & seq. · k cap.23.37 · l cap.33.6 · m Eccl.25 14 · n 1.Corint. 12.fult. · o Prov.3.17 · p 4.p.t.7 c.5.§5 · Principium salutis timor Domini.

quorum misericordia; opificum, mercatorum & similium, quorum munditia cordis, & manuum, infirmorum & pauperum, quorum patientia. Postremo per nomen *beati* ait notari complementum humani desiderii. Chrysostomi autem digressio in commentario optima, qua demonstrat, in bonis externis beatitudinem esse non posse; sed beatissimum, quoad licet in hac vita esse, qui timeat Dominum, & in viis ejus ambulet. Vias vero multas dici notat, ob diversos vivendi modos, utque istorum multitudine facilem nobis intelligeremus fieri ingressum.

*Beati omnes, qui timent Dominum.*] Hieronymus, *beatus omnis, &c.* Prima vox אשרי *asre* prima occurrit initio Psalterii, & alias crebro, estque declarata, ut significet *beatitudines*, sive *aggregationem plurium ad integrandam beatitudinem unam*, aut *beatum* & *beatos*, prout exigit orationis constructio; aut adverbialiter, *bene, fœliciter*. Secunda dictio כל *chol*, omnis generis & numeri est. Tertium est singularis numeri participium in regimine, ירא *jere*. Numerum pluralem Paraphrastes etiam expressit: & idem sane valet *omnis, qui timet*, & *omnes, qui timent*. Quapropter quæ deinceps in psalmo per singularem numerum dicuntur, perinde sumi debent, ac si pluraliter efferrentur. Nec tamen respuenda annotatio Augustini, de pluribus hìc, & postea de uno, propter unionem corporis mystici, membrorum sub uno capite Christo. Sed & apostrophe ad unum quempiam in sequentibus posita, valet, ut Bruno observat, ad magis excitandum. Valentia vult de uno Christo psalmum intelligi, qui perfecte implevit voluntatem Patris. Sed male legit, *beatus vir*: quoniam, ut dixi, extat etiam Hebraicè, *beatus omnis, &c.*

*Qui ambulant in viis ejus.*] Dixi de variis viis, viaque una. *Non ambulant, qui operantur iniquitatem, in viis Domini* q, sed *in circuitu impii ambulant* r: & in illis viis *nolunt ambulare* s, quod si facerent *audientes Dominum, pro nihilo inimicos eorum humiliaret, & super tribulantes eos mitteret manum suam* t. Dignus *Deo ministrare, ambulans in via immaculata* u: dignus redemtione, atque misericordia, *ingrediens in innocentia* x: dignus *non privari bonis, ambulans in eadem* y. In via non consistendum, sed ambulandum. Sunt vero, ut advertit Bonaventura, qui in ea non ambulant tepidi, qui sunt extra illam, quos ad veniendum Christus invitat z, qui de via, in qua sunt, cadunt. *Pes stans in directo*, ut habetur alio psalmo a, non excludit ambulationem, sed fixum includit propositum per tramitem rectum, viamque rectam ambulandi, sive non ambulandi extra illam: quod Apostolus *stare in fide* ac *Domino* b dici; hortans alioquin aliquem ad ambulandum c, immo ad currendum d.

---

*Vers. 2.*) Labores manuum tuarum, qui manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

DIrecto sermone ad hominem timentem Deum, numero singulari propter majorem emphasin, quum generice prius de multis, atque de omnibus etiam loquuntur fuisset, primam illius fœlicitatem statuit, ut fruatus iis bonis, quæ proprio manum labore, sive operum sibimet comparaverit, vel acquisiverit; non rapto, non malis artibus, non etiam successionis aut donationis jure: illa vero, quæ sic pepererit, non comedant alieni, *non scrutetur fænerator omnẽ substantiam ejus, nec diripiant alieni labores illius* e: *fructus terræ ipsius & omnes labores illius non comedat populus, quem ignorat* f, non sint irriti labores, spemve mentiatur seges, non ærugo hanc exurat, non locusta, bruchusve devoret, non siccitas vel rubigo consumat, non fures, prædones, milites vexent, vastent, asportent. Denique promittit beatam vitam, ut & nunc sic beatus, & beatitudo illa perseveret, vel tùm in ista, cùm in futura vita, ut expressit Paraphrastes. Ceterum tacite Propheta insinuet per bona, quæ manuum laboribus acquiruntur & mandacantur ab ipsomet qui acquirit, vitanda vitia tùm injstitiæ, quæ rapit aliena: tùm immoderatę habendi cupiditatis, quia modica solent esse, quæ proprio quis labore acquirit, victui autem necessariis contentus est justus, *quibus, alatur & tegatur* g; tùm avaritiæ, quæ usum denegat possessori eorum etiam, quæ sint eodem illo justo labore acquisita; tùm pigritiæ, quæ parcit industriæ, & labori necessario: tum prodigalitatis, quæ omnia simul effundens, nil reservat in sequens tempus: tùm illiberalitatis, quam devitat, qui labores expertus in se, novit aliis compati & sub-

Viæ multæ ob diversos vivendi modos. · q ps.118.3 · r ps.11.9 · s ps.77.10 · t ps.80.14.15 · u ps.100.6 · x ps.25.11 · y ps.83.12 · z Matt.11 28 · a ps.25.12 · b 1.Cor.16 12. Gal.5 1. Eph.6.14 Phil.4.1 Thess.1.5. · c passim in epistol. · d 1.Cor.9 24.Hebr.12 1 · Sensus loci · e ps.108.11 · f Deut.28 33 · g 1.Tim.6.8 Prov.30.8



subvenire. Cajetanus præterea subtiliter observat excludi multas miserias: servitutis, quia servus non comedit fructus laborum, sed dominus: prædæ, quoniam in terra rapinis subjecta non comedit homo fructum laborum suorum: mendicitatis, mendacius enim non vivit ex labore proprio: ægritudinis, nam æger non gaudet fructu vineæ suæ, horti &c. *Melius modicum justo super divitias peccatorum multas* a; qui ut plurimum vel iniqui sunt, vel iniquorum hæredes b. Vulgus beatum prædicat, cui affatim hæc externa suppetunt bona, sed *beatus cujus Dominus Deus ejus* c. Hic etiam si aliquando penuriam patiatur, aut labores ejus irriti fiant, fructusve diripiantur, nec habeat de micis divitum saturari d; nihilominus censetur beatus, & *manducare labores manuum suarum*, idque etiam forsitan suavius, quia in tribulatione patiens, *spe gaudens* e *superabundant omni gaudio in tribulatione* f *rapinam bonorum suorũ cum gaudio suscipi* g, *manducat ipsum panem doloris*, ut priore vidimus psalmo h, & ipsæ *lacrymæ illi sunt panes* i. Deniq; spes ipsa dulcis, gustus de labore suavis, beatitudo etiam præsens de paupertate jucunda, & aliis ærumnis, quanto magis de re, de præmio, de fruitione? Beatus nunc est in spe & bene illi erit postea in re, ac specie. *Non derelinquitur nec semen ejus quærit panem* k, eo sensu, quem tradidimus. Affinis Ecclesiastę l sententia, *Omnis homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est*, qui m sæpius inculcat hanc esse felicitatem, & oppositum infelicitatem: item Esaiæ n: *Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet*. Multo jucundius quod labore ac sudore paratur, & res habetur magis in pretio, non relicta, sed parta labore, cujus oppositum ille o perpetuam beatitudinis censuit loco,

*Res non parta labore, sed relicta.*

In ipso innocentiæ statu operati essemus in paradiso p, tamersi absque molestia: inde ejectos damnavit Deus ad *vescendum pane in sudore vultus* q: *& ut omnis labor esset in ore nostro* r: inde mulier fortis laudatur, quod *panem otiosa non comederet* s: postremo *ad laborem nascimur* t, *& si quis nolit operari, nec manducare* debere Apostolus u decernit. Huc spectat adagium, quod *lutum nisi tundatur, non fit urceus*, quodque

x *nil nisi magno*
*Vita labore dedit mortalibus*,

Præterea, quod

y, Τῶν πόνων
Πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθ' οἱ θεοί
*laboribus*
*Dii cuncta pretinus nobis vendunt bona*;

Postremo,

* Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.
*At virtutis iter dii cum sudore terendum*
*Proponunt*

Quod vulgo aliter:

*Virtutem posuere dii sudore parandam.*

Suavitatem vero, voluptatemque ex labore consequentem, ac vix existentem sine ullo, alii duo Poetæ cecinerunt.

z Πόνοις τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ
*Absque laboribus nulla certe felicitas.*

Item,

Ἄπονον δ' ἔλαβον χάρμα παῦροί τινες.
*Lætitiam sine labore pauci ceperunt.*

Ista inter alias ex tribulatione utilitas, quæ persuadet præterea contra Hæreticos reddi operibus nostris beatitudinem fructum ex illis in radice gratiæ factis prodeuntem, atque tamquam debitam iisdem mercedem Fructus laborum non pœnitendus non tantum futurę fruitio, sed in hac ipsa vita gaudium in Spiritu sancto; & ipsimet gustus honestorum operum, quibus non alieni, nempe dæmones, sed nos ipsi vescimur. Sic Esaiam * Procopius a intellexit inducentem Deum hoc pacto pollicentem: *Juravit Dominus in dextera sua & in brachio fortitudinis suæ: si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis: & si biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti. Quia qui congregant illud comedent & laudabunt Dominum, & qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis*. Exponit id, inquam, Procopius, de amplexantibus fidem Christi; & ait hoc loco Davidem arcano sensu idem velle, foreq; ut hi non amplius dæmonia suis actionibus pascant, sed virtutem operati, suis ipsi fructibus potiantur in multis illis mansionibus apud Patrem b. Addi potest simul justos operibus bonis pasci, & Deum pascere; quod non æque

a ps.36.16 · b Hier.epist. ad Hedib.q.1 · c ps.143.15 · d Luc.16.21 · e Rom.12 · f 2.Cor.7 · g Hebr.10.34 · h aers.2 · i ps.41.4 · k ps.36.25 · l cap.3.13 · m cap.2.30 19.24.c.5.17 18.c.9.9 · n cap.3.10 · o Martial. l.19.epigr. in 47 · p Genes.2.15 · q c.3.17.19 · r Eccl.6.7 · s Prov.31.27 · t Job 5.7 · u 2.Thess.3. 10 · x Hor.lib.1 Satyr.9 · y Epicharm. apud Xenoph.2.memorab. · * Hesiod.in Ergis.& apud Xenoph. supra. · z Sophocl. in Electr. · * cap.62.8.9 · a ibid. · b Joan.14

malis convenit; quoniam brevem voluptatem comitatur cruciatus æternus, nisi per pęnitentiam retractentur, iisq; potius pascuntur dæmones quorum *cibus electus* c, id est, quædam quasi voluptas ex damnatione prætertim eorum, qui justi erant: & videbantur electi. Christi fatigati cibus erat conversio Samaritanæ d: Petrus etiam occisos & mactatos jubebatur manducare e, in quibus peccatum occidebat. Quivis justus in cœlo manducabit labores, quia se lætabitur laboravisse, & nunc manducat, *gaudens, quod habeatur dignus pro Christo aliquid pati* f. Gaudii peculiaris in cœlo pro toleratis hic laboribus quodam symbolum fuerunt nummi, quos cum tritico repererunt in saccis fratres Joseph g. Manducant & illi labores manuum suarum tropologicè, qui suorum veluti pascuntur conscientia bonorum operum, quæ referunt ad laudem Dei, non quærentes ab hominibus laudem, honorem, mercedem. Plane reddidit Deus mercedem laborum sanctorum suorum, *completq; illos & honestat* h, atq; *bonorum laborum gloriosus est fructus* i. Triplicem distinguit Hugo fructum, bonum *in gemitu* k contritionis, vel compassionis; in *clamore* confessionis, vel prædicationis; *in cophino* operum m. Utilitates laboris recenset septem Grevæus n, admonitionem exilii ac paupertatis nostræ: meditationem culpæ, propter quam laboramus desiderium mensæ cœlestis: memoriam latæ in nos sententiæ: ut in sudore vescamur pane: vitationem otii, quod affectavit Lucifer, volens sedere, quum non laborasset: expectationem quietis æterne: spem satietatis divinę. Exequitur hæc ille pluribus. Ad extremum licet hinc vetus id confirmare monachorum institutum, operandi manibus suis, de quo Augustinus opus conscripsit o: Ephrem p autem ex hoc ipso loco confirmavit. Legendi prçterea Hieronymus q, & Cassianus r. Ostendit Augustinus s, quod opera fabrorum, structorum, sutorum, rusticorum; & his similia, non honestas ipsa reprehendit, sed superbia eorũ, qui vocari honesti amant, sed esse non amant. Confirmat exemplo Pauli, Judæorum, Patriarcharum, Græcorum Philosophorum, Ecclesiæ Dei, ubi sponsus Mariæ faber fuit. Addi potest cum tot aliis etiam Cyprianus, quem laudant Confessores t, quod sumtus necessarios in carcere positi, de laboribus suis præbuisset. Ponit Polydorus Virgilius hoc inter adagia sacra vigesimum nonum supra ducentesimum, ut doceatur quod non sit frustra quis in re aliqua laboraturus, nec item sine labore victurus. Valentia Christo accommodat hæc omnia, qui cibum suum salutem animarum dixit *, & parare locum velle, ut ederent & biberent cum ipso in regno Patris u. Item labores manuum manducavisse, quum Eucharistiam à se institutam ipsemet comedit. Uxorem ejus ait Ecclesiam esse, quæ, ut vitis, extendit palmites suos latissimè, ob multitudinem sobolis quæ comparatur etiam cum oleis, quæ ramos proferunt superius & inferius virgulta ad radicem; est autem in circuitu mensæ hic Eucharistiam sumendo, ibi manducando panem in regno Dei, & accumbendo cum Abraham, Isaac, & Jacob.

*Labores manuum tuarum, quia manducabis.*) Hieronymus, *labores manuum tuarum quum comederis*: apud Trevetum, *labores palmarum tuarum quum comederis*: apud Victorium, *labores manuum tuarum comedes*. Numeri singularis est labor Hebraicè יגיע *jeghiahh* & particula כי *chi* potest significare, *cum*, sive, *quando*, vel, *quia*. Ut sit sensus tunc, aut ideo beatum esse, ac bene illi esse, sive id cognosci, quando, vel quia manducabit laborem, seu labores manuum suarum. Chald. dictio ארום *arum* valet, *quia*. Græcè nihil respondet: sed terminatur sententia verbis istis τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου φάγεσαι. Omittitur etiam eadem particula, *quia* in Romano & Ambrosiano Psalterio, & ab Hilario, Augustino, Prospero, Arnobio, Cassiodoro, putato Hieronymo, & alibi à vero x. Eadem vero Psalteria, iidemque Patres, Hieronymo vero excepto, præterea legunt; *fructuum*, non, *manuum*, item Psalterium vetus addito, *quia*. Oritur diversitas ex æquivoco nomine [illegible], quod non solum *fructus*, licet non primaria notione, sed & ob similitudinem cum fructibus, ut Eusthachius tradit cum etymologistis, *manus* significat, sive *juncturam eorum cum cubito, qua parte committuntur manus cum ossibus, versus brachium*. Aliter *volas*, aut *palmas* appellant, quod ultimum vocabulum Latinum homonymum quoque est ad fructum, plantamve palmæ. Audiendus hic Hieronymus in citata priore psalmo epistola y. Unde intelligimus non esse verum Hieronymum, qui

c Abac.1.16 · d Joan.4.32 34 · e Act.10.13 · f Act.5.41 · g Gen.44.8 · Tropologia · h Sap.10.10 · i cap.3.15 · Triplex fructus. · k ps.6.7 · l ps.68.4 · Utilitates laboris. · m ps.80.7 · n serm.286 · o tom.3 · p tom.2.paran.8 · Vetus monachorum institutum, laborandi manibus suis, confirmatur. · q epist.4 · r 2.instit. c.3.lib.10. c 7.usque ad 19.& cap.22 · s ca.13 · t epist.26 apud illum. · * Joan.4 · u Luca.22 · x in Jer.c.6 · y epist.142

qui legit in Commentario, *fructuum*. In sequenti quoque psalmo Heliodorus magis quam noster Hilarius, erravit Heliodorus inquam, quem errandi caussam eidem Hilario dedisse scripserat Hieronym. in psalmo præcedente, *filios excussorum* declarando Apostolos excussores, quum debuisset *excussos* passivè exponere,) qui de eo loco, in quo scriptum est, *labores fructuum tuorum manducabis*, varia opinatus, asseruit magis stare sententiam, si scribatur *fructus laborum aliquem manducare*, & non *labores fructuum*: unde spiritualem intelligentiam debere perquiri, & ex hac occasione longam ingrediens disputationem, tanta operositate, quod volebat intelligi usus est persuadendi, quanta semper falsitas indiget, ut vera videatur, quum in hoc loco non Lxx. Interpretes, sed, Latini, de Græci verbi ambiguitate decepti καρπὸς *fructus* magis, quā *manus* interpretati sint, quum καρποὶ *manus* quoq; dicātur, quod Hebræo ponitur כפיך *chappecha*, & Symmach. Quintaq; editio transtulerunt *manuum tuarum*, ut ambiguitatem prioris sermonis effugerent. Huc usque ex Hieronymo. De Symmacho Theodoretus testatur idem: apud Euthymium additur Aquila, qui expresserint nomē Χειρῶν *manuum*; & si quidem retineantur *labores fructuum*, notatur esse ἀντισημαντίαν, idest, *contrariam significationem* pro eo quod dici deberent *fructus laborum*. Refertur in Scholio Aquilam vertisse κόπον (in singulari, quod fecit quoque Symmachus) ταρσῶν *volarum*. Apud Hæbræos כף *caph* à curvitate, partem significat manus, quæ dicitur *vola & palma*, & inde totam manum, licet eadem ratione de pedis quoque planta usurpetur. Paraphrastes expressit nomen *manuum* cum affixo אידך *aidach*. In libro primo *a* Regum *duæ palmæ manuum Dagon* Græcè dicuntur duplici quoque nomine οἱ καρποὶ τῶν χειρῶν, & Hebraicè כפות ידיו *cappot jadau*. Chaldaicè פסת ידוה *pissath jedohi*, *extremitates manuum ejus*, sublata homonymia Græci καρπῶν. Præterea in libro quarto *b summæ manus Jezabel* appellantur τὰ ἴχνη τῶν χειρῶν כפות הידים *cappoth haiiadaim*. Chaldaicè item כפת ידיא *sippoth jedaiia*. In libro Proverbiorum *c*, quod legimus, *palmas suas extendit ad pauperem*, Hebraicè dicitur nomine *manuum* plurali cum affixo ידיה *jadeha*, Græcè nomine singulari καρπῶ. Denique hoc loco NicephorusBlemmida monet καρπὸς δὲ τὰς χεῖρας φησὶν ἐκ μέρους τὸ πᾶν μέρος δὲ τῆς χειρὸς ὁ καρπὸς quod nomen καρπὸς hic usurpatur pro *manibus* ex parte totum denominando: quia pars manus est καρπός. Didymus item citatus ab Agellio docet, quod καρποὺς φησὶ νῦν ὡς ἀπὸ μέρους χεῖρας. Nihilominus non videtur omnino verum Latinos dumtaxat, ut Hieronymum affirmantem audivimus, qui *labores fructuum* reddiderunt, de Græci verbi ambiguitate deceptos. Nam Apollinarius idem nomen pro fructu accepit.

Τέρψεαι ὧν ἐμόγησας ἔχων μελιηδέα καρπόν.
*Delectaberis, quæ laborasti comedens suavem fructum.*

Isidorus Pelusiota *d* ita quoque καρπὸς pro *fructibus* accepit: vocans enim hunc psalmicum modulum omni generi vitæ conducibilem, ait perinde esse, ac si Propheta diceret; Vos, qui sanctæ ac honestæ vitæ curam geritis, φάγεσθε τοὺς καρποὺς αὐτῆς, *manducabitis fructus ejus*, immortalibus scilicet coronis à Deo coronati. Quia & Origenes *e*, quod magis miror, quia peritissimus erat Hebraicæ linguę, disertè intellexit hunc locum de *laboribus fructum*, examinans, cur Apostolus *f* numero singulari scripserit se *fructum aliquem habere* voluisse in Romanis: & alibi *g* eodem numero sit usus, *sicut & ceteris Gentibus*: in psalmo autem nostro *fructus* pluraliter exprimantur. Quare suspicari posse videor, qui *fructus* intellexerunt, arbitratos id quoque vocabulo Hebræo significari, licet istius nunc notionis exemplum non extet. Non procul abest notio pro ramis, quam Hebraizantes in Scripturis sæpe recipiunt: & Interpres aliquando *h* reddidit *spatulas* pro כפֹּת *cappoth*, quod est *involucrum fructuum palmarum adhuc florentium*; sed ibi pro ramis ipsis intelligi debet. Attamen minime dubitandum, translationem nostram longe clariorem esse, nec ea egere adeo operosa disputatione, qua usum Hilarium Hieronymus scripsit, & qua utitur etiam Augustinus: uterq; procul dubio cum laude magna piæ diligentiæ, posita ea versione, quæ in Latinis Psalteriis, Romano, Ambrosiano, vetere invenitur. Docui psal. 9. *opera manuum tuarum* de peccatis sæpius intelligi, quia propria nostra sunt; & simili de caus-

a cap.5.4
b cap.9.35
c cap.31.19
d lib.1. epist.414
e in epist ad Rom cap.1
f Rom.1
g Galat.6
h Lev.23.40
i vers.17

A sa de idolis, quæ non sunt, nisi quatenus à nobis fiunt. Idem sentiendum de *laboribus manuum nostrarum*, nisi quid obstet. Obstat hoc loco, quoniam *beatus* prædicatur *manducans labores manuum suarum*; quod per metalepsim ponitur pro *fructibus laborum*. Quæ ratio movere nonnihil potuit dictam translationem, *labores fructuum*, ubi dixi aliam cerni figuram, secundùm quam *fructus laborum* intelligendi sunt pro *laboribus fructuum*. *Labores* vero, *fructusve manuum* appellantur laboribus manuum parti fructus; quia manus sunt organum organorum *k*, idest, præcipuum organum, sive instrumentum: & non rarò Scripturæ manus pro potestate, officio, ministerio, instrumento accipiunt, ut alias notatum est à nobis, & ante nos, præsertim ab Eusebio *l*, & August. *m*. Sed & familiare Scripturis est, antecedens usurpare pro consequenti, ut hoc loco *labores* pro *fructibus*. Quo ipso modo dicuntur Hebræi *labores populorum possedisse* n, & Apostoli *in labores aliorum introivisse* o: & una imprecatio est, ut *diripiant alieni labores alicujus* p. Eodem sensu cavetur, *ne moretur opus mercenarii usq; mane* q, idest, merces ope- B re promerita: dicitur *patientia opus perfectum habere* r, idest, operis perfecti mercedem: *mercenarius præstolari finem operis* ſ, Hebraicè *opus suum*, hoc est, mercedem operis: quod erit *opus justitiæ pax*, hoc est operis justi præmium, pax. Eadem ratio de *commutatione* t, pro pretio commutationis: de *redemtione* u, pro pretio ejusdem, aut de propitiatione *x*. Apertius Esaias *y*, prius citatus dixit *fructū adinventionum comedere*: & Ecclesiastes *z*, *videre bonum de labore suo*: *ostendere animæ suæ bona de laboribus suis* a; *frui lætitia ex labore suo*, aut *lætari* b: obscurius autem, *uti labore* c: *dominari in laboribus* d.

*Beatus es, & bene tibi erit.*) Potuit reddi, אשריך *asrecha*, *beatitudines tibi*, vel *beate tibi*, quod repeti videtur aliis verbis, & *bene tibi erit*. Quamvis in textu Hebræo non sint verba substantiva, juvant ad rem melius explicandam Paraphrastes exposuit, *beatus tu in mundo isto, & bonum erit tibi in mundo venturo*. Ibi simpliciter erit benè justo, & suavissime *comedet fructum adinventionum suarum* e, atq laborum. Sola honesta bona, & virtutum, multo autem magis si sint ex gratia, cum donis aliis ejusdem C ad justitiam spectantibus, & lumine gloriæ, beatitudineque, absolutè *bonorum* appellatione digna sunt. Merito negavit Seneca *f*, præterea, quæ honesta sint bona, nominari bona debere, sed commoda, & quidem servilia, & in opinione tantum bona: nec id improbat Augustinus *g*, sed nec quantum ad vim rerum attingit, discrepare à Stoicis id asserentibus, Platonicos, & Peripateticos existimat. Cicero *h*, hujusmodi alia illa bona æstimabilia, seu æstimanda nominat, & apta natura. Vim habet repetitio, & quod absq; limitatione ponatur, *beatus es, & bene tibi erit*. Quemadmodum quum Deus respondere Moysen de se ipso jussit, *Qui est, misit me*: & quod nomen ejus esset, *Ego sum, qui sum* i, indicavit in se omne esse comprehendi, & habere esse illimitatum, & infinitum.

k 3.de ani. 1.38
l 8.de præp. Evangel. cap.3
m in ps.120
n ps.104
o Joan.4
p ps.108
q Lev.19.13
r Jacobi 1.4
ſ Job 7.2
t Matt.16.26
u ps.125.
Eph.1.1. Timoth.2
x ps.129.
Joan.1.29
y cap.3.10
z cap.3.13
a cap.2.24
b c.5.17.18
c cap.2.19
d vers.19
e Esa.3.10
Sola honesta bona.
f epist.66.71.74.99.120
g 9.de civ. cap.4
h 3.& 4.de finib. quem etiam legit parad.1
i Exod.3

---

*Vers. 3.*) Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.

D Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.

HÆC aliæ duæ partes beatitudinis, qua se timentem Dominus donat, qui habeat uxorem fęcūdam, pudicè, & verecundè intra domum, quam diligenter curet, se continentem, sibi obtemperantem: filios pulchros, concordes, frugales, obsequentes. Fœcunditatem uxoris comparat cum vite fructifera; tùm præterea quoniam hæc planta præ ceteris plātari solet in domibus, quumq; sustineri per se nequeat, eget adminiculis, ornat item, ac protegit: quæ innuunt uxorem se domi, modo dixi, continentem, domusque curæ intentam, simul ab auctoritate, & voluntate viti pendentem: præterea humilem, sicut est viris planta, ornamentum domus, protectionemque familiæ: postremo etiam, quod placet Didymo, bonorum operum fructibus ornatam, ut de ipsa dicatur, *k Mulieris bona beatus vir: pars bona, mulier bona: in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis*: & quod *domus, ac divitiæ dari dicuntur à parentibus, à Domino autem proprie uxor prudens* l. Triferas vites memorant, Auctor de mirabilibus auscultationibus, dictus Aristoteles *m*, Theophrastus *n*, Plinius *o*, hic etiam biferas, quod

Sensus lecti.
Vitis cum uxore collatio.
k Eccl.26.
l Prov.19.14
Vites triferæ, & biferæ
m cap.25
n 1.de caussis plantar. c.11
o lib.16.27



quod & alicubi contingere in Basilia proditur *a*. In Hispaniola vero insula ferunt, ipso mense Martio uvas præmaturas sponte provenire *b*: in Fortunatis fortuitis vitibus juga vestiri *c*. Ad hæc, tantæ amplitudinis caudicem vitis in Margiana Strabo *d*, scribit, ut bini homines jūctis nequeant ulnis amplecti: in Mauritania bipedalis longitudinis botros esse: in Carmania extendit ad cubita duo. Similis ille quem duo exploratores humeris ex promissa terra retulerunt *e*. Plinius *f*, testatur vidisse confectum ex unius vitis stipite Jovis simulacrum. Ut omittam celebrē illam vitem in L. viæ porticibus Romæ, quę subdiales inambulationes umbrosis opertolis opacabat, eademque duodenis musti amphoris fœcunda erat *g*, hoc est, ut vulgari Romanorum sermone utar, octingentis *foglietiis*, & insuper viginti: constat autem, quam vocant *bottum*, quia continet octa *bariles, barilas, foglietas* centū viginti octo *foglietiis* plus aliquanto mille. Quam vero deceat uxorem hærere in lateribus, ac penetralibus domus οἰκουρῶν, καὶ οἰκοδεσποτεῖν h, *domum curare, domum & familiam regere*, Bochius longa & erudita digressione demonstrat & ante illum Espencæus *i*, & Muretus *k*, præ ceteris accu- B ratius Tiraquellus *l*, Brissonius *m*, Carthusianus *n*. Ad rem est etiam Veneris Elæorum pictura, Auctore Phidia, in qua testudinem illa calcabat *o*, symbolum silentii, & commorationis in domo. Lex etiam Ægyptiorum nuptis sandalia negās *p*, ne domo prodiret: C. Cæciliæ posita statua in fano Sangi, cui sandalia, & fusi adjacebant *q*. *Sapiens mulier*, inquit Salomon *r*, *ædificat domum suam*. Subtiliter Plutarchus *ſ*, virum uxori, ut Lunæ solem docens esse, dum vir præsens est, tunc se maxime videndam illi uxorem admonet, quum abest, obscurari debere, condi, occultari; contra quam Lunæ contingat, quæ remotior à Sole lucet, propior delitescit. De latere viri, si fieri potest numquam discedendum uxori, quia de primi viri latere uxor prima formata est, Domino Deo costam, quam tulerat de Adam, ædificante in mulierem *t*, quasi huic incolendam jugiter domum significare vellet, ut innuunt Philo *u*, & Ambrosius *x*. Hic autem præterea *y*, noctem refert ad mulierem, diem, diem ad virum; quoniam vir actu publico sit clarior mulier obscurior, tamquam domesticis clausa parietibus. *Hortū conclusum* vocant Cantica *z*. C Veteres *bonam deam*, θεὸν γυναικείαν, numquam egressam ex gynæceo; numquam ab alio visam mare, quem à viro *a*. Verissimè Clemens Alexand. *b*, pronunciavit, quod κάλλιστον ἔργον γυνὴ οἰκουρός, *res est pulcherrima mulier custos domus*, quæ & se, & maritum propriis ornamentis (vestes intelligit, sed ad alia transferri potest) induit, per quæ omnes exultant, filii quidem propter eos, omnes autem propter Deum. Talis est Nazianzeni sententia *c*.

ὁ τρόπος ἐστὶ γυναιξὶ οἴκαδε μίμνειν πλεῖονα.
*Mos est mulieribus* (res pretiosa) *domi manere plurimum*.

Parentes filiam Saram desponsatam Tobiæ, monuerunt *honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum; & seipsam irreprehensibilem exhibere* d. Voluit quoque Deus istam fœminarum domesticam habitationem, & moram indicare, quum præcepit, ut Hebrææ ex Ægypto discessuræ postularent ab hospitibus, quas Augustinus *e*, vocat *concellarias, concellaneas*, (alii male *conlactaneas*,) quas Græcè dicuntur σύσκηνοι vasa argentea, & D aurea, ac vestes *f*: viri etiam ab amicis, sive proximis, ubi, cumq; nimirum illi essent, quam dissiti *g*. Galenus *h*, observavit pilos in facie fœmininum sibi genus adversis frigora non postulasse auxiliaturos, quod sub tecto maximam vitæ partem degere debeat. Hinc etiam cognomen *focariæ* i, quod privatim viri focum servare uxor debeat; & *peregrinæ* K, pro meretrice, quod videtur Hispanis sonare *ramera*. Talem describit Sapiens *l*, *garrulam, & vagam, quietis impatientem, nec valentem in domo consistere pedibus suis*. Tertiam beatitudinis partem in filiis constituens David, adhibet comparationem ex novellis olivarum, seu germinibus, plantationibus, plantis, plantulis circum mensam viri; quoniam olivæ in alio psalmo *m*, tribuitur fructificatio, & commendatur à speciositate *n*, sive pulchritudine, & quod pullulet *o*, eantque rami ejus, atque gloriæ sint symbolum. Jeremias *p*, vero amplectens plures laudes hujus arboris, ait, *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum*, sive juxta textum Hebræum, *olivam, virentem, pulchram fructu, & speciosam*, & prout Paraphrastes exposuit *pulchram forma, & speciosam*

a Ambr. Pere in epist. Ind. an 1555
Vites celebris amplitudinis.
b Petr. Mar. in histor. in sum. cap 81
c Isidor. 4. orig. cap.6
d l.2.11.15 17
e Num.13.
f Lib.14. cap.1
g Plin. l.14. cap.1.
h 1.Tim.5. 14
ad Tit.25.
i in epist. ad Tit. cap.2.
k 7.var.lect cap.2
l in leg. connub. præsertim in l.19
m de ritu nuptiar. & de jure connub.
n de laudib. vitæ conjug.
o Plutarch. in præcept. conjug. in 31 & 35. & epist. de I? de Pausan. l.6. Strabo. serm.72. Alciat. in emb.
Sandalia
Vir uxori Lunæ Sol.
p Plutarch. præc. conjug.
q idem Rom. q. in 30.
Plin. lib.8 cap.48 iterum Plutarch. probl. c.20. Probus l.10. epith.
r Prov.14.1
ſ in præcept. conjug. in 8
t Gen.2.21.22
Mulieribus domi commorandum
u de special. legib.
x de parad.1 cap 11
y de arca Noe cap.13
z cap.4.12
a Lactant. l.10.22
b 3 pædag. cap.11
c carm. cont. mult. orn.
d Tob.10.13
e q.39. in Exod.
f Exod.3.22
g cap 15.22
h 11. de usu part
i C. de cond. in ferm. l 3
k Terent. in Andr. & in Eunuch.
l Prov.7.10.11
m ps 51.10
n Eccl.24.
o cap.50.11
p cap.11.16

A *aspectu cujus rami obumbrant in arborem*, aut *exporrigunt sese in arbore*. Valde receptum, ut *arboris* vocabulo series natorum intelligatur, quam genealogiam appellant. Circa radicem pullulant olivæ undique; ipsa arbor symbolum pacis, & concordiæ est. In particulari litterali expositione alia quædam notabuntur.

*Uxor tua sicut vitis abundans.*) Hieronymus *fructifera*, quod valet פריה *perijah*. Sic in Ecclesiastico *q*, *Ego quasi vitis fructificavi* ἐβλάστησα, *germinavi*. Hoc loco Psalterium vetus, & Augustinus *sicut vinea fertilis*. Pacianus *r*, *sicut vitis fecunda*. Comparatio ex vitibus pro parentibus occurrit antea ps.79 *ſ*, & in Propheta Nahum *, eadē extat, atq; alibi, ad innuendam prolis copiam, quam etiam Job *t*, cōfert cum herba terræ. Mysticè *uxorem* Arnobius capit pro carne nostra, ex cujus actibus proficiant alii, ac veluti botriones producantur, dum ipsa proficit in sanguine Christi, & *manducat labores manuum suarum*, idest carnem Christi, qui noster efficitur, cum laboribus, & meritis suis. Augustin. & alii multi, animam justi, & Ecclesiam universam junctam spirituali conjugio interpre- B tantur; quod longe melius, ac perfectius est, quam carnale, & quam fœcunditas, quæ nonnullis valde justis negata est, ut Abrahæ, Isaaco, patri Joannis, &c. & plurimis concessa improbis, quos videmus florere domo, conjuge, liberis; & virginitatis laus multo excellentior est. Deniq; *benedictus Deus benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus* u. Et Christus sponsus habet sponsam, teste Joanne Baptista *x*. Pacianus paullo ante citatus Ecclesiam quoq; hic intelligit, quæ sit virgo, & mater sponsa, sive uxor, conjuxq; se viro Christo sumta; multum huic virgini paratum esse, & prolem innumeram, qua totus Orbis impletur, & quam designent *filii, sicut novellæ olivarum*. Cyrillus Alexandrinus *y*, viti, seu vineæ jungit ficum, subter quas Zacharias *z*, vaticinatur fore, ut vir, amicum suum vocet. Hilarius, Cassiodorus, & qui dicitur Hieron. prætereaque Ambrosius *a*, ajunt, *uxorem sponsamve* esse sapientiam, prout & Auctor libri Sapientiæ *quæsivisse se* scripsit *b*, *assumere sibi sponsam adducere, voluisse an convivendum, & amatorem factum fuisse pulchritudinis illius*. Hanc Hilarius totis domus illius, qui habet eam C Deumq; timeat, lateribus diffusam dicit, ac fœcundæ vitis modo se per omnia operum nostrorum latera extendere: *mensam* esse, ex qua cibus panis vivi, viventisq; sumitur: & eos, qui se accipiunt, vivificat; Dominicarum quoq; lectionum mensam, in qua spiritualis doctrinæ cibo aluntur, qui doctrinam Dei consectantur: ex sapientia bonæ voluntatis opera procreari, quę doctrinę nostrę cognitionem, optimorum quasi ramorum fructibus obumbrat. Cassiod. docet uxorem istam, quæ sapientia est viri comparata, fructus jucundos, ac suaves proferre: domum esse, cogitationem, in qua defixi, velut in domo moramur: latera, parietesve, duo Testamenta, in quibus firmata solidatur. Extendit Hugo ad quamlibet virtutem, cui debeat justus amore individuo copulari: in lateribus domus sicut vitem abundare, quando fragrat odore bonorum operum. Rursum August. affirmat, nos, & Ecclesiam esse Christi non modo uxorem, sed fratres quoque, sorores, matrem, prout ipsemet dixit *c*; fratres propter sexum virilem: sorores propter fœmininum: qui utriq; sunt intra latera domus Ecclesiæ, membraq; Christi: matrem, D quia Christus est Christianis, quos per baptismum quotidie parit Ecclesia: Patres etiam dici possunt respectu eorum, quos in Christo gignunt *d*: sicut & matres, quatenus *eosdem parturiunt* e. Vel patres efficit amor Dei, & proximi, per quem spirituales filios generant; sapientia matres, qua nimirum persuadent fidem, pœnitentiam, reliqua saluti necessaria. Bernardus *f*, pro carne sumit *uxorem* sicut abundantem vitem in lateribus domus cœlestis: quia ibi honorabitur juxta mensuram non in medio domus habitans, sed seorsum, nec in facie nobis, sed in latere constituta, quia scilicet gaudebimus feliciter quidem in ipsius glorificatione, sed non principaliter: *filios* etiam *sicut novellas olivarum in circuitu mensæ* opera intelligit, *quæ sequentur nos* g, sed quæ nunc fiunt, non quæ fient tunc, quod est esse in circuitu mensæ. Aliter adhuc Hugo carnem asserit *uxorem*, quatenus spiritus rationi tamquam viro subditur, sicut vitis suffossione, & potatione fœcundatur, idest, mortificatione, abundantem in lateribus domus conscientiæ, hoc est, quatuor virtutibus cardinalibus, & postea totidem dotibus corporis. Qualitates item bonæ uxoris eidem attribuit carni, ut sit sapiens, sedula, casta, tacita, fęcunda, humilis, vi-

Arboris vocabula sæpe series natorum intelligitur
q cap.24.23
r epist.3.
ſ vers.12.
* cap.2.2.
t cap.5.25
Uxoris acceptio mystica.
u Ephes.1.3
x Joan.3.29
y in Zach. c.3. n.22
z cap.3.10
a in ps.39
b Sapient.8
c Matt.12.50
d 1.Cor.4 15
e Gal.4.19
f ser. de obedien. patien. sapient.
g Apoc.14.13
Qualitates bonæ uxoris carni attribuuntur.

ro conteriens. Similia sunt in Crevari sermone a. Nec abit A longè quod Auctor libri Zogar, explicans verba Genesis b, *ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam* de Messia citat præsentem locum, aitque, *asinam* intelligi de corpore, quod is traditurus esset in cibum, ut cum uxore colligaretur, & uniretur, dicitq; *asinum*, quia verberibus trahendum est. Quamvis communior allegoria est, quod Christus *ad vineam* populi Judæi ligaturus esset *pullum suum* populi Gentilis, qui nondum tolerat jugum legis, & *ad vitem*, idest, ad seipsum, ipsemet immediatè ac per se *asinam suam* dicti populi Judæi, cui prædicavit, Gentili autem per discipulos. Nec incommodè dirigi potest ad Joseph Mariæ virum præsens oratio, ut beatus prædicetur tali uxore, quam, & aliquo modo meritis propriis obtinuerit. Justinus c, innuit & hunc mysticum sensum, ut in lege nova una sit contentus fidelis uxore, nempe quam habeat saltem viventem unicam; & hoc aliter significari *per sessionem sub vite sua* d, quasi abundè satisfactum sibi hoc modo quisq; arbitretur, & fœcundam sic prolem (quod sæpe contentis una uxore accidit) adepturum. Ordini demum ac familiæ religiosæ convenit peculiari quadam ratione, ut uxor dicatur Christi, cui despondetur castitate cum dote abrenuntiationis perfectæ. Continetur autem intra latera, & claustra separatæ domus: & viti abundanti similis est, quæ diligenti cultura, nec parva eget impensa spirituali, sed utriq; respondet copia fructuum, & filios, aut sectatores, & imitatores veluti generat, qui tãquam *novellæ olivarum* plantationes repleant eamdem domum bonis exemplis, & quasi pabulo opimo.

*In lateribus domus tuæ.*) Hieronym., *in penetralibus* Hebr. בירכתי *bejarchethe*, quod eo modo, quod Hieron. vertit. Græcè redditum testatur Chrysost. ἐν τοῖς ἐσωτάτοις. Refert & aliam translationem ἐν τοῖς μηροῖς *in fœmoribus*. Hæc Hebræum quoque nomen significat: & sic magis exprimeretur fœcunditas. Nec obstat ut ipsa *latera* eo sensu hic Latinè sumamus. Sed Græcum κλῖτος numquam in ea notione reperi; verum in aliis locis Scripturæ pro *latere ad Austrum* e, seu *Meridionali*, vel *Aquilonari* f, item pro *latere sive angulo atrii* g, & pro *latere dextro* h: licèt hoc loco ultimo quidam codices habeant νῶτον, & non κλῖτος *dorsum* non *latus*. Cajetanus, & alii observant innui modestiam uxoris, ut non in atrio, non in porta, non in media domo, in qua sunt viri, sed in lateribus, seu angulis, & penetralibus domus versetur. Placet nonnullis pertinere & hoc ad fœcunditatem ex similitudine vitis petitam, quæ scilicet sese propaget per omnia latera domus. De priore sensu satis multa dicta sunt prius. Quo pertinet præterea gynæceum, sive gynæconitida, aut conclave constitui solitum in remotiore, aut plerumque in editiore domus parte. Sic Homerus i, Penelope crebro ἐν ὑπερῴῳ morantem facit, quem vocat etiam k, μυχὸν δόμου ὑψηλοῖο *conclave secretumve locum domus altæ*. Judith etiam *in superioribus, domus suæ, in secreto cubiculo cum suis puellis clausa morabatur* l. Sara pariter filia Raguelis *in superius domus cubiculum perrexit* m. Sed orationis caussa utraque & quidem vidua id fecit. Possumus præterea per *latera domus* plurali numero intelligere designatam sobolis multitudinem utriusq; sexus, tùm etiã educationis honestæ modum, ut separatim nutriantur, ac instituantur in diversis domus lateribus, sive partibus masculi, feminæq; Antonius n, observat sollicitudinem, atq; constantiam, ut uxor & mater familias non consistat in plateis ad tripudiandum, non otio domus ad fabulandum, vel murmurandum, non in fenestra ad procandum, sed intra domum nunc in uno latere, seu loco, nunc in alio, aliquando in camera ad orandum, aliquando in solario ad ornandum, aliquando in coquina, & similibus ad providendum. Placuerit forsitan alicui quod R. Chabila observavit in *viri* nomine איש *isch*, & in feminæ אשה *isciah*, reperiri nomen *Dei* יה *jah*, quia debeat inter conjuges Deus intercedere: si autem ab his amoveantur י *jod* & ה *he* superesse tantum אש *esch ignem*, libidinis nempe, ac jurgiorum, necnon gehennæ. Quin & *domus* mentio, quæ sit ipsorummet genitorum, insinuat non aliena in domo, non aliena cuto, aut alieno lacte, sed matris lacte nutriendos liberos, & instituendos à parentibus ipsis. De lacte dixi alio loco o, multaq; apud Tiraquellum p, extant. Atqui dicat aliquis quomodo fecũda uxor viti similis intra domus penetralia, consistenti, quo Sol vix pertingit? Uxori vir Sol est, quem etiam ps. 18. q, appellatum *sponsum* vidimus. Deinde ad litteram comparatio est cum vite quæ inclusa domo, patet nihiluminus radiis solaribus.

a serm. 187
b Gen. 49. 11.
Allegoria.
Sensus mysticus, aitus Justini.
c contra Thryphon.
d 3. Reg. 4. 25
1. Mach. 14, 12
e Ex. 26. 18
f vers. 20
g Ezech. 46. 21. 22
h cap. 47. 1
Caussa cur gynæceũ sive conclave in remotiore aut editiore domus parte constitui solitum sit.
i Odiss. 1. 15, 25. 18. 19. 23
Illiad. 2
k Iliad. 22
l Judit. 8. 5
m Tob. 3. 10
n 3 p. tom. 1, cap. 2. §. 5
Observatio in viri & in fœminæ nomine R. Chabila.
Liberi matris lacte nutriendi
o in Act. c. 13. 1.
p tract. de bilitate c. 20. n. 78. & seq.
q vers. 6

*Filii tui.*) Sub *filiis*, filiæ, quoq; intelligi solent, & sub masculino sexu etiam fœmininum. Quamvis mysticè denotentur opera bona, qui sunt velut partus ac fetus justi, debere esse mascula, virilia, fortia, constantia, & cum firmitate mentis. Utrumq; Cassiodorus notavit. Alii de filiis spiritualibus Ecclesiæ accipiunt, ut Hieron. r, præterea qui tales etiam vocat, quos Petrus, exempli gratia, Christo genuit, ut Marcum: quos Paulus, ut Timotheum, Lucam, Titum. Finis matrimonii præcipuus est procreatio filiorum, ut Angelus Raphael docuit Tobiam, non autem libidini vacare excludendo Deum à se, & à mente sua s, & Paulus in epistola ad Timotheum t; quamvis in remedium simul concupiscentiæ, sit matrimonium. Quare de re August. u, Ambros. x, Hieron. y, Ambr. z, etiam præcipit eligi conjugem vultu decoram, quam moribus, & quæ placeat honestate magis, quam pulchritudine, quæ Saram uxorem Tobiæ moribus refert. Vicissim August. a, vult uxoribus maritos placere, non quia divites, sublimes, gente nobiles, carne amabiles, sed quia fideles, religiosi, pudici, viri boni.

*Sicut novellæ olivarum.*) Hieron., *germina*. Alii *plantationes, seu plantæ*, Vetus Psalt., & August., *novellatio*, Hilarius, *novella*. Nomen Hebr. שתלים *scethilim*, quod hic tantum reperitur de arborum plantatione, vel transplantatione dicitur, ac ferè diminutivè de surculis, & plantulis, quos etiam Galli vocant, *plants*. Græcum νεόφυτα valet *novellas plantas*, quasique denuo insitas, unde novos Christianos *neophytos* vulgo appellamus. *Novellæ olivarũ* sunt novellæ olivæ, quemadmodum novellas vites Virgilius b, *falces incisas* vocat: Cicero c, *arborem novellam*, ut & *vetulam*; & *novellatum*. Jurisconsulti vineam ex novellis vitibus consitam, & *novellare* d, est novum agrum colere, aut nobas vites panhere *Novellationem, novella, novellas* substantivè nondum reperi. In ps. 143. e similis extat comparatio filiorum juvenum cum novellis plantationibus, quæ Græcè vocantur νεόφυτα ἱδρυμένα Hebr. נטעים מגדלים *netihhim meggudalim*. Ipsos fructus olivarum possumus hoc loco sumere, non plantulas, & surculos tantum. Favet Apoll., appellans νεοθαλέας ἐλαίας *novas olivas*. Laudat Constantinus Auctor operis de agricultura f, olearum novellarum plantationem, surculis depositis in sua ipsorum terra: sic enim fructus maximè genuinos esse. Laudantur vero simili prole puerpere g, tametsi mœchas contingat nonnumquam similes maritis liberos gignere, incertaq; sit ea nota legitimæ prolis. Talem desiderant matrimonia prolem, quæ non sit aliunde insita. Inter alias ab aliis constitutas pœnas in adulteras, illam constituit Aurelianus Imperator, arborũ duarum inflexis capitibus ad pedes religatis, moxq; dimissis, intervulsi utrinque propenderent h. Caussa potuit esse, quod adultera alienam velut arborem admittit, & inseri sibi sinit, unde etiã quasi fructum profert alienum. Ferunt autem olivæ nullam inseri aliam plantam posse; Ut *filios sicut novellas olivarum habere*, sit omnes habere legitimos. Quod si quæras, cur matris cum vitæ comparatæ dicantur *filii novellæ olivarum*, tam diversæ arboris rami, fructusve adeo differentes. Respondendum in vite attendi fecunditatem, cum aliis, qualitatibus, de quibus diximus: in oliva, præter illa, quæ prius etiam allata sunt quod non sint potandi, citoque morituri, ut occidit palmitibus pottari quotannis: sed victuri diutius, quemadmodum contingit novellis olivarum; & id quidem ex divina misericordia, quam denotat oliva, quam Deus *misericordiam non abscindit à generatione in generationem* i: licèt interdum filios potare videatur, citius ex hac vita educendo. Olivæ qualitates, de quibus diximus aliàs, indicant cujusmodi liberos optare quisq; debeat, pulchros corpore, semper virides viribus corporis quidem, sed animi præsertim, hoc est, virtutibus, & sapientia victores difficultatum, tentationum, tribulationum, corcordes & pacificos; liberales, & misericordes. August. attingit conditionem pacificorum, eo quod in oliva sit fructus pacis, & oleum pacem significet, sive charitatem: & columba folia portaverit cum fructu ad arcam Antoninus k, persequitur aliàs proprietates. Rectè autem observat, quamvis frequenter bonæ arboris boni sint fructus l, boni filii parentum bonorum; nihilominus quandoq; nasci ex bonis malos, ut filios Belial ex Samuele: Manasse ex Ezechia, ex Davide Amnon, Absalon, utque nonnullis videtur, Salomonem: bonos es malis, ut Josiam, ex Amon plurimi referre educationem, atque institutionem bonam, qualis fuit in parentibus Tobiæ m, & Saræ,

a, quæ

r in Esa. 17, & 65
Matrimonii finis præcipuus procreatio filiorum.
s Tob. 6. 17
t 1. epist. 5. 14
u de bono conjug. c. 9. & 24. l. 3. de adult. conjug. c. 12. l. 1 de nupt. & concul. 3. contra Julia. c. 14. 15-16. lib. 5. c. 3. 14. lib. 5. c. 7. 6. 10
x de paradiso cap. 10
y ep. 11. & 22
z de instit. virg. cap. 14
a 2. de nupt. & conc. c. 13
Ratio nominis neophytorum
b Eclog. 3
c 5. de finib.
d Sueton. in Domitiano, cap. 7
e vers. 12
f lib. 9 c. 3
g Horat. 4 car. ode 5
h Rodig. l. 10. cap. 5
Caussa crudelis pœnæ ab Aureliano in adulteras constitutæ.
i Ps. 76. 9
K 3. p. tom. 1, cap. 1. §. 6
l Matt. 7. 17
m Tobiæ 4. & seq.



a, quæ illi uxor obtigit. Hoc pacto Procopius b, ait utcumque dici posse non solũ humana corpora gigni ab hominibus, sed etiam animas ipsas: atque idipsum confirmat auctoritate præsentis loci. Ait præterea c, per *olivæ plantationes in circuitu mensæ*, designari utriusque populi fideles, tùm Judæos, tùm Gentiles, vitamque acquiri ex participatione spiritus, & eam recuperari in sancta Christi mensa, fidem in ipsum intra nos recipiendo. Pertinent jam hæc ad mysticum sensum, cui præter prius dicta, quædam adhuc attexi possunt. Ac primo, quod mater cum vite, filii comparentur cum novellis olivarum, liceat de Maria interpretari, quæ *ut vitis fructificavit* d, naturalem filium Christum similem sibi gignendo, sed alios habuit filios adoptivos, hoc est, ceteros fideles, qui olivæ novellis censentur similes, quia per gratiam, & misericordiam, quæ denotatur in oliva, dignitatem illam consecuti sunt. Petrus Simonis e considerat filios Ecclesiæ spirituales comparari cum novis, & juvenculis olivis, quæ sunt viridiores, gratiores, pulchriores, firmiores etiam ac minus ventorum vi, & tempestare lædi possunt; præterea feraciores, ac meliorum fructuum productrices. Nam Christiani, qui ab unctione denominantur, virent, inquit & florent semper in vera pietate, læto, alacri, ac lubenti animo servientes Deo, & fortiter resistunt omnibus insultibus, ac tentationibus mundi, carnis, diaboli: & fructus bonorum operum suavissimos, pinguissimos, præstantissimos, copiosissimos proferunt. Sed cavendum, ne sicut vitis mala, & vinea reprehenditur apud Esaiam f, & Ezechielem g; sic merito reprehensionem incurrat oliva, quæ est in Abacuch; *mentietur opus olivæ*, hoc est, fallet spem fructuum, quam concitaverat æstatis initio floribus cooperta: & in Jeremia i, qui deplorat *olivam ante uberem, pulchram, fructiferam speciosam, ad vocem loquelæ grandis exarsisse, combustaque fruteta ejus*. Sicut sunt nonnulli, qui multa, & magna de se promittunt, & ingenti sæpe incipiunt fervore vivere, ac mira facturi videntur, sed ut se primum difficultas offert, vel tentatio, deficiunt. Quidam fructus quidem ipsos pietatis jam protulerunt, nec pauca fecerunt opera bona, sed æstu libidinis, aut superbiæ omnem jacturam passi sunt. Talis Pharisæus superbus k: ad primos autem spectant, qui se pollicebantur *omnia facturos, quæ loquutus esset DEUS, & facturos obedientes* l. Verum *dilexerunt Deum in ore suo tantum, & lingua sua mentis sunt ei, nec erat cor eorum rectum dum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus* m. Tandem oleum etiam bonũ est *lætitiæ* n, *sanctum* o, & malum *peccatoris* p, quodque fertur in Ægyptum q. De qua tota re actum in aliis psalmis, *Filii olei* r, vocari possunt fideles, inserti in bonam olivam s. Quamvis conentur hæretici, ait Hieronymus t, veritati miscere mendacium, oleum aquis, & ceteris humentibus, & liquentibus rebus non potest copulari; semper veritas supra est, deorsumque mendacium. Acumen habet, quod idem u, scribit de ficu, vinea, oliva, simul memoratis in cantico Abacuc x, Trinitatis denotare mysterium, ut ficus attribuatur Spiritui Sancto, propter pomorum dulcedinem: Vinea Christo Dei Filio, qui seipsum vitem nominavit y: Oliva Patri, à quo cuncta illuminantur, de quo egrediatur lux, cui dicere possimus, O oliva, *in lumine tuo videbimus lumen* z, idest, in Filio videbimus Spiritum sanctum. Accommodatitie quidam hoc de Angelis accipiunt, qui perpetuo assistunt Deo, divinæque mensæ, ut reficiantur, quamvis simul in circuitu hominum hic sint, præsertim timentium Deum a, ut illos custodiant.

*In circuitu mensæ tuæ.*) Vel quando cõvivaris, vel quando sub mensam, sive sumto cibo suaviter colloqueris: vel quando advocas filios tuos institutionis, & doctrinæ gratia. Mensam ad cibum paratam Latina voce sic dictam volunt, quasi *missam*, & à ferculis, quæ vocantur quoque *missus*: quam item notionem videtur vox Hebræa שלחן *scialchan, impartare*, à שלח *scialach, mittere*. Volunt præterea quidã hic significari per *filios in circuitu mensæ*, quod starent ad lectulorum pedes, quum epulantes recumberent parentes ad mensam b. Dubium id mihi, quod ultimo dicitur loco: potiusque circa mensam *filios* puto significare multitudinem eorum, quocumq; ibi tandem situ disponerentur, sive stantes, sive sedentes, sive accumbentes. De mystica mensa quid possit dici, attigi antea, nimirum aut Eucharistica, aut Catechistica. Præter prius citatos Auctores, lege Chrysostomum c, qui simul in *olivarum novellis* attendit, quæ requiratur in accumbentibus ad eam dispositio, *Filii tui*, ait, *sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*. Nihil vetus, immite nihil, nihil crudele: tales enim novellæ sunt ad fructum idoneæ, fructum mirabilem olivæ dico; & fortes, itaut omnes fiant *in circuitu mensæ*. In eodem sensu Thomas Aquinas, eumque approbans Ecclesia in Officio de festo Corporis Christi ad Vesperas, accepit præsentem locum: cantatur enim antiphona, cum hoc psalmo, *Sicut novellæ olivarum Ecclesiæ filii sunt in circuitu mensæ Domini*. Hieronymus d, videtur ex circuitu isto inferre multitudine fidelium ex Gentilibus pro paucis, qui ex Judæis conversi sunt. Sic enim de istis explicat excussionem olivarũ duarum, aut triũ, sive quatuor, aut quinq; in cacuminibus ejus: duas ait fuisse, Paulum, & Barnabam: tres Petrum & Jacobum, & Joannem; quatuor, aut quinq; reliquos novem Apostolorum, in quibus Judæ proditoris locum Matthias obtinuit. Grande convivium fecit Abraham in die ablactationis Isaac e, tuncque adhibuisse illum videtur ad mensam. Solos ablactatos, avulsosque ab uberibus admitti mensa divina, dignosque censet, quos doceat scientiam, & quos intelligere faciat auditum f.

a cap. 10. 13
b in Gen. c. 1
c in Exod. p. 294
Sensus mysticus.
d Eccl. 24. 23
e Exhorta. 8 de olei confect.
f c. 5. 2. & seq.
g c. 15 2. 6 c. 17. & seq.
h cap. 3. 17
i cap. 11. 16
k Luc. 18. 10 & seq.
l Exod. 24. 7
m ps. 77. 36.
n ps. 44. 8
o ps. 88. 21
p ps. 140. 5
q Osea 12. 1
r Zach. 4. 14
s Rom. 11. 14
t in Osea 12
u in Abac. c. 3.
x cap. 3. 17
y Joan. 15. 1 4. 5
z ps. 35. 10
a ps. 33. 8
Notio nominis Mensa.
b sic Villalp. noster in to. 2. in Ezech. p. 2. l. 3. c. 37.
c hom. 51. ad popul.
Quæ dispositio in accumbentibus ad mensam Dominicam requiratur.
d in Esa. c. 17
e Gen. 21. 8
f Esa. 28. 9



---

*Vers. 4.*) Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

*Vers. 5.*) Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

*Vers. 6.*) Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

IN mirantis more exclamat Propheta propter tantam bonorum copiam, quæ pii conjuges consequantur, ac ipsimet filii: ita ut timens Dominũ comprehendat omnes, qui psalmi principio pluraliter omnes expressi sunt. Deinde adjicit imprecationem novæ benedictionis, sub concepta quadam formula: ut habitator Sionis; & amator Deus, ob arcam, ac tabernaculum, templumq; ibi constitutum, vel destinatum, dignetur impertiri suam benedictionem, concedat vero cunctis vitæ diebus, ipsum timentium, fœlicem ejusdem loci, ac totius Jerosolymitanæ Civitatis videre statum, cum pristinis incolis ex captivitate restitutis, & absque periculo aliorum hostium, vel obsidionis. Adhæc, ut tamdiu vita producatur, ut liceat his qui timent Deus, filios filiorum, ac nepotes videre. Postremo, ut possint videre pacem, ac prospera cuncta super universum populum Israel. Timentes Deum non de propriis dumtaxat bonis, verũ etiam de communibus aliorum gaudent. Porro mentio benedictionis, ut à Domino fieri intelligatur, opportunè hìc fit, ne quis abscriberet recensita prius bona vel fortunæ, vel industriæ humanæ numen quoque *Sion* revocat in memoriam; fœdus à Domino pactum cum populo, & promissionem, illius, quod suos cultores, deque ipso sperantes numquam desereret. In Sione Salomon, sive in illius parte Moria, post dedicatum templum, plurima precatus est concedi adeuntibus illud g. Mysticè votum est pro spiritualibus bonis, quæ proveniunt, descendendumque de Sion materiali, unde lex evixit Evangelica h, missio illius Spiritu sancto i, & de cœlesti Sion, sive de cœlo, unde mittuntur eadem divina munera: utque concedatur tandem aliquando æternis ibidem frui bonis, & videndo illa possidere, atque visione ipsa Dei, qua *similes eis efficiamur* k, consequi beatitudinem: præterea videre *filios filiorum*, tùm quos ipsemet per nos, ac immediato genuerimus Deo; tùm qui opera horum filiorum nostrorum spiritualium, usque ad mundi finem adducti fuerint ad Deum: postremo pacem firmam, stabilem, æternam, quæ reddat in æternum securos habitatores supernæ Jerusalem, victis, prostratisq; cunctis hostibus eorum, & Dei, diabolo contrito, ut loquitur Hilarius aculeo mortis retuso, & omni Principe, ac potestate hujus sæculi exemta, quum jam pax erit in nobis hoste victo, & peremto. Quamvis temporalia commoda dona sint Dei, non ea tamen, inquit Prosper l, spondet propriè Sanctis, quæ communiter largitur & reprobis; immo & pecoribus, ut ait Augustinus. *Filios filiorum* idem Prosper, cum Augustino, & aliis, intelligit fructus sanctorum operum, perpetuaque justitiæ præmia, in beata Jerusalem bonum omnium fore, quod fuerit singulorum, pacem, cum omnibus æternis *super Israel* idest, videntes Deum, ac *mundos corde* m.

*Ecce.*) Addit Paraphrastes cum Hebræo textu כי *chi*, quo-

Sensus loci.
g 3. Reg. 8. 30. & seq
Sensus mysticus.
h Esa. 2. 3
i Act. 2. 1 & seqq.
k 1. Joan. 3. 2
l hic, & sent. 37
m Matt. 5. 8

*quoniam, vel, enim, namque*, &c. Quasi ratio reddatur, quare enumerata prius bona contingant Deum, timenti, quia nimirum Deus ipse illorum collator est, cujus benedicere est benefacere. Est præterea eadem particula asseverativa, quasi dicas, *ecce, certe, utiq; profecto*. Vel, *ecce quod* nempe res ita habet. Dixi quoq; particula, *ecce*, importari admirationem, cui adde alios affectus, vel gratulationis, vel spei certæ; desiderii ve, cui celeri effectus respondeat.

*Sic benedicetur homo qui timet Dominum.*) Additur in Roman. Psalterio, ab Hilario, Arnobio, Cassiodoro; *omnis. Viri* nomen ponit Hieronymus, quia est גבר *ghever*, Niholominus uterq; sexus intelligitur, quem & ἄνθρωπος significat. Particula, *sic*, aut ad prædicta refertur, aut innuit sequentem benedictionis formulam; aut ecliptice indicat benedictionis magnitudinem tantam, ut exprimi satis nequeat. Arnobius exponit, qui sic egerit, ut Dominum timeat, sic benedicetur. Ineptissimè invehuntur hic

Hæretici in votivam castitatem invehentes rejecti.

Heretici in religiosam votivamque castitatem, qua sibi quis interdicit usu matrimonii; quoniam status matrimonii legitimi deputatur fœlicitati Deum timentis, atq; illius commendatur benedictione. Sufficiat Christi vox, B dicentis quum de Eunuchis se ipsos castrantibus propter regnum cœlorum loquitur *a*; *qui potest capere capiat*; & Pauli, optantis *omnes sicut seipsum continentes* b, & affirmantis *meliores esse virginem permanere* c. Damnant è contrario vetustiores Hæretici alii immerito matrimonium & nuptias, quas Christus ipse approbavit, & Apostoli, Patres, Ecclesia universa. Quod modo non est uberius demonstrandum.

a cap. 19. 12
b 1. Cor. 7. 7
c ibid. 7. 38.

*Benedicat tibi Dominus ex Sion.*) Nihil refert quod in Romano Psalterio & ab Hilario, Augustino, Prospero, Arnobio, putato Hieronymus, Cassiodoro, legatur, *benedicat te*. Hebræum futurum cum affixo יברכך *jevarecheka* sumi potest vel pro imperativo, vel pro optativo, & si retineatur notio propria, prædictionem continebit. Græcum εὐλογήσαι est modi optativi. Præscribitur hic benedicendi modus cujus alteri; vel David suum facit, vel, ut Arnobio placet, Spiritus sancti est. Juxta primum sensum, est in sequenti psalmo *d* benedictio prætereuntium super alios. Nec dissimilis Gabeli benedictio super Tobiam Juniorem; *super uxorem illius, super parentes, & ut viderent filios, & filios filiorum, usque in tertiam, & quartam generationem, & semen eorum esset benedictum à Deo Israel, qui regnat in sæcula sæculorum* e. Deus autem præscripsit Aaroni, filiisque ipsius benedicere filiis Israel; *Benedicat tibi Dominus, & custodiat: ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem* f. Eamdem benedictionem Aaron sibi deposcit Auctor Ecclesiastici nominatim g. In Deuteronomio *h*, hinc sex tribus, stare jussæ sunt ad maledicendum, hinc totidem ad benedicendum in montibus diversis, positis in medio Sacerdotibus cum arca, ut Hebræi dicunt: observantes preterea, quod filiis liberarum benedicendi munus impositum est, maledicendi, filiis ancillarum, ac inter hos Ruben collocatum, quia propter peccatum à sua dignitate dejectus fuerat: Zabulon inter maledicentes etiã erat filius Liæ liberæ, sicut Ruben. Quidquid sit, credibilius est, assignatis in Garizim ad benedicendum sex tribubus, in Hebal sex ad maledicendum, nonnullos ex Levitis, quorum erat res divinas tractare, ad illos montes ascendisse, ac vitandæ confusionis caussa, D præsciptas tùm benedictiones, tùm maledictiones pronunciavisse, ceteris respondentibus; *Amen*. Docet id Abulensis *i*, & Cajetanus *k*, volens quoq; unicum Levitam benedictiones; & alium unicum protulisse maledictiones. Jam non ex Gazirim benedictiones expectandæ, vel maledictiones ex Hebal metuendæ. Ex sola Sion, quę est Ecclesia, benedictiones spirituales proveniunt; extra illam non nisi maledictiones; nisi quis animo, & voluntate ad eam aspiret, quod ipsum, nisi benedictione præveniatur vocantis Dei, non potest. Sed & intra Ecclesiã ipsam constitutus nemo debet quærere illas benedictiones, ait August. quæ non sunt *ex Sion*, idest, ex Domino; & ipsius beneplacito, verbi gratia, uxorem, sanitatem, divitias.

d vers. 8
e Tobi. 9. 9. 10. 11.
f Num. 6. 23. 24. 25. 26
g Eccl. 36. 19
h c. 27. & 28
i in Deut. 27. 9. 3
k ibid.

*Et videas bona Jerusalem.*) Hebraicè, *in bono* בטוב *betub*, quemadmodum in alio psalmo *l*, *ad videndum in bonitate*, ubi phrasin declaravimus, Chrysostomus recitat aliam translationem καὶ ὅρα ἀγαθοῖς ἱερουσαλήμ, *& vide in bonis Jerusalem*. Rectè Augustinus, mistico sensu, & Prosper, aliique, qui etiam legunt, *& videas quæ bona sunt Jerusalem (bona Jerusalem)* sola mereri hoc nomen observant. Illa bona sunt, inquit Augustinus, quæ æterna Asunt, & sunt, quia ibi est Rex, qui de seipso dixit *m*, *ego sum, qui sum*; Ista, quæ attendis bona, cæcus vides. Videas, sed illa bona, quæ corde videntur. Ista sunt, & non sunt, quia non stant, labuntur, fluunt. Plus est pauperi videre cœlum stellatum, quam diviti tectum inauratum.) Idem Pater docet verbo uno *pacis* cuncta *bona* Jerusalem comprehendi. Præterea omnes in hac vita mimum nos agere dicit, quibus nempe peracta sit hinc actione, abeundum. Videri hic etiam possunt *bona Jerusalem* per fidem, & per quamdam similium bonorum experientiam, quæ ibi perfectè reperiuntur, videlicet, ut Bruno notat, si à vitiis quiescamus, & ad similitudinem civium cœlestium, Dei dilectione exardescamus. Citat Prosperi sententiam; Est & in hac vita multis requies data sanctis. *Videndi* vero Nyssenus *n*, admonet hic significari habere, ac possidere, quemadmodum è contrario exponit Esaiã *o*, *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini*, hoc est, particeps non fiat. Ad eumdem modum in ea beatitudine *p*, *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, vult per hoc quidquid in bonis annumeratur intelligi, eorumque B possessionem. Invitat postremo Justinus *q*, usurpans hunc locum; omnes timentes Dominum, ac videre cupientes *bona Jerusalem*, ut accedant ad lucem Domini, & ad Jerusalem, quæ non amplius expugnatur propter peccata populorum, quæ est Ecclesia nimirum tùm militans, tùm triumphans.

l Psal. 105. 5
m Exod. 3. 14
n de octo beat. orat. 6
o cap. 26. sec. LXX.
p Matt. 5. 8
q in Tripho.

*Omnibus diebus vitæ tuæ.*) Vetus Psalterium & Augustinus, *omnes dies vitæ tuæ*. Ista bona sunt, inquit Augustinus sed non omnes dies vitæ tuæ tu vides. Probat: quia post mortem superest anima, & perseverat vita, & piè hic viventes patiuntur tanta, ut in æternum viventes consequi valeant illud bonum, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* r; & pax vocatur, non aurum, non argentum, non fundus, non vestis. Non arbitror in *dierum* nomine absque mentione noctium, vim esse, quam notavit Hugo, quoniam non erit in beatitudine nox, sed tantum dies, est plena cognitio. *Omnes dies vitæ* significant, ut idem inet Auctor non omisit integrum vitę tempus. Appollinarius ἀκάματον βίοτον, *indefessam vitam*, idest, *æternam*, vocat.

r 1. Cor. 2. 9. Esa. 64. 4

C *Et videas filios filiorum tuorum.*) Talem antea recitavi benedictionem, seu imprecationem Gabeli *s*, qua Tobiæ optavit, ut *videret filios usque in tertiam, & quartam generationem*, Rebeccam quoq; dimittendo imprecabantur ei parentes *t*, *Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum*. Proverbiali eadem figura, παῖδας παίδων, & eos, qui μετόπισθε γένωνται, Homerus *u*, appellavit; & Virgilius *x*, *natos, & natorum, & qui nascentur ab illis*, ut longam propagationem significarent; atque Plato *y*, adagii vice usurpatum meminit sensu eodem, παίδων παῖδας. Propagatio ista familiæ non primis illis dumtaxat hominibus, concessa, verum etiam Patriarchis nonnullis, maximè Jacobo, tum preterea Jobo, de quo proditur, quod *vidit filios filiorum usq; ad quartam generationẽ* z. Q. vero Metellus Macedonicus quum sex liberis reliquit quoque undecim nepotes, nurus, generosq; & omnes, qui se patris appellatione salutarent, viginti septem. In actis item tempore Augusti extat, quod consulatu ipsius XII, collegaq; L. Sylla, C. Crispinus Hilarus, cum liberis nove, (in quo numero filiæ erant duæ, D nepotibus viginti septem, pronepotibus viginti novem, neptibus novem, prælata poma in Capitolio immolavit *a*. Jacobus Capellus *b*, Parisiensis aviam suam Jolantam Balivam perhibet, quum centũ prope vixisset annos, ad trecentos fere ex se orto, filios ac nepotes vidisse. Deniq; ut exemplis aliis parcam, Ludovicus Vives *c*, testatur, Patrum suorum memoriam vicum fuisse in Hispania penè centum domorum, cujus omnes incolæ erant à sene quodam, qui ad hoc vivebat, progeniti, ita ut propinquitatis nomen jam deesset, quo à minimis natu vocaretur; quia lingua Hispana supra abavum non ascendit. Lepidum item illud carmen de matrona, quæ trinepotem in sexto gradu descendentem vidit,

s Tobiæ 9. 11
t Gen. 24. 60
u Iliad. 5.
x Æneid. 3.
y 5. de legib.

Longa propagatio familiæ multis concessa.

z Job. 42. 16
a Plin. lib. 7 cap. 13
b in fragmentis.
c in Aug. 15 de civ. c. 8

*d* 1. *Mater ait*, 2. *Nata dic*, 3. *Nata filia*, 4. *Natam*
*Ut moneat*, 5. *Natę plangere*, 6. *Filiolam*.

d Basil. Joan. Heroid. in Solone sap.

Mysticè designatur perpetua successio Ecclesiæ in Prælatis, & subditis. Quod argumentum præsertim ex priorum successione urgent valde Tertullianus *e* Cyprian. *f*, Optatus *g*, Augustinus *h*, Auctor quæstionum veteris, & novi Testamenti *i*, Irenæus *K*, Origenes *l*. Aliud hinc

e de præscr. c. 30. 31. 4. cont. Marcio. c. 5
f epist. 51. 76
g lib. 3.
h ep. 165
Mant. c. 4. psal. cont. ep. cont. partem Donat. l. de util. credendi c. 17 49. 2 cont. l. Petil. c. 55. tr. 17. in Joan.

Refutatur Origenis error.

i 9. 10. apud Augustin.
k l. 3. c. 2. 3. 25. 40. l. 4. c. 43. 45. 63. 70
l 1. Periarch.



a epist. 2. paschali.

hinc infert Theophilus Alexandrinus *a*, & ex similibus A locis, in quibus optari legitur multiplicatio prolis, ac beneficii, benedictionisque haberi loco; non esse corpora, ut sensisse visus Origenes, animarum ergastula, in qua ob præcedens peccatum detrudentur. Potius, Inquit, precandum fuisset, ne propter vitia melioris substantiæ natura vilior conderetur. Cur David talia imprecatur, si animarum peccato justi viri augetur genus? Quomodo audet dicere, *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum*, quum sciat animas delinquentes corporum vinculis alligari, & in hujuscemodi carcere, judicio Dei, pœnas luere peccatorum? Qui Dei præcepta conservant, non debent accipere præmium, animarum de cœlo ruinas, quæ ligatæ corporibus, sobolis eorum incrementa multiplicent. Sic Theophilus. Longævitas prẽmium est honorantium parentes *b*, estque mandatum de hac re primum in promissione *c*. Nullus parentes carnales honoravit melius, quam Christus, qui *subditus erat ipsis* d: nullus Deum Patrem, cujus voluntati perfectè obsequutus est. *Vidis* propter hoc *semen longævum, anima sua posita* c, ut *obediret usque ad mortem f*: propter illud, quia in medio B annorum deceuit illum mori, voluit relictum pro se matri Joannem velut filium, qui recepit eam εἰς τὰ ἴδια, *in sua g*, sive *in propria*, & in filialem curam, obsequium, obedientiam, tamdiu vivere. Quamquam & alia caussa extitit Joanni communis cum primis hominibus, ut magis propagaret spiritualem familiam Christi, & posteritati traderet fidei, ac pietatis doctrinam. Eamdem reddere caussam possumus, cur nonnullos religiosorum institutorum auctores Deus retinuerit diu in vita, ut Antoniũ, Romualdum, alios, quo scilicet eadem firmius instituta constabilirent. *Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt narrandi laudes eorum; cum semine eorum permanent bona: hæreditas sancta, nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum, & filii eorum propter illos usque in æternum manent: semen eorum & gloria eorum non derelinquetur* h. E contrario *sunt, quorum non est memoria, perierunt, quasi non fuerint, & nati quasi non nati, & filii ipsorum cum ipsis* i. Vident præterea *filios filiorum* secundùm tropologiam, qui operum C suorum bonorum, atq; meritorum suorum fructus colligunt, & dum hic vivunt, & postea translati ad meliorem vitam. Felix hoc nomine, cui longior in mundo isto suppetit vita, sed pie semper transacta: vel si quando peccaverit gravius, resurgit, ac demum saltem justo fine vitam terminat: tunc enim præcedentia revivis cunt merita, ac tamquam filii mortui resuscitant, & operum merita sequuntur, comitanturque ad præmia æterna: ubi singulari etiam quodam gaudio afficiemur, si quos exemplo nostro, verbo, scripto, consilio, facto, aliove modo in Christo genuerimus, aut in pietate, ac fide confirmaverimus. *Filii tui*, ait Augustinus, opera sunt, quæ hic agis; *filii filiorum*, fructus sunt operum tuorum. Facis eleemosynas, *filii tui* sunt, propter eleemosynas accipis vitam æternam, *filii filiorum tuorum* sunt. Non sis sterilis, arbor, &c.

b Exod. 20. 12
c Ephes. 6. 2
d Luc. 2. 51
e Esa. 53. 10
f Philip. 2. 8
g Joan. 19. 27
h Eccl. 44. 7. 8. 11. 12. 13
i vers. 9.

Tropologia

*Pacem super Israel.*) Hieronymus eodem modo, & alii, præter Psalterium vetus, & Romanum, Ambrosianum, Augustinum, Prosperum, Cassiodorum, qui legunt, *pax*, sicut est etiam Græcè in recto, εἰρήνη, & ita quoque reddit Apollinarius.

εἰρήνη Χαίρουσα μετὰ κλυτὸν Ἰσραήλ.
*Pax grata super inclytum Israelem.*

Eadem omnino verba sunt in fine psal. 124. ubi etiam vertit Hieronym. in nominativo; sed hoc loco idem cum aliis retulit ad verbum *videndi & videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel*, hoc est, ut pacem videas. Habent nonnulli codices Græci εἰρήνην. Repete dicta ps. 124. Arabica translatio connexionem exprimit, præposita conjunctione *&, pacem*. Non placet Hugonis interpretatio, *pacem super Israel* dici, quia sit major, quam *in Israel*, idest, quam possit aliquis contemplari, exuperetque omnem sensum *k*, vel super Christum, qui *est pax nostra* l, & superat omnes fideles; vel in superiore Israel, in quo est pax æternitatis. Non importat particula *super* superioritatem, ut ita dicam, nisi quam habet res quęlibet, quæ recipitur in alio, maxime ad ornamentum ipsius, vel commodum.

Hugonis interpretatio minus probabilis.
k Philip. 4. 7
l Ephes. 2. 14



# PSALMUS
## CENTESIMUS VIGESIMUS OCTAVUS.

Canticum graduum.

1. SÆpe expugnaverunt me à juventute mea, dicat nunc Israel.
2. Sæpe expugnaverunt me à juventute mea: etenim non potuerunt mihi.
3. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolungaverunt iniquitatem suam.
4. Dominus justus concidit cervices peccatorum.
5. confundantur, & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.
6. Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam evellatur, exaruit:
7. De quo non implevit manum suam, qui metit; & sinum suum, qui manipulos colligit.
8. Et non dixerunt, qui præteribant: Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini.

---

*Titulus, & Argumentum.*

Canticum graduum.

Argumentum.

DEcimi ex gradualibus psalmis, titulus idem, qui ceterorum est. Inducit aut populi orationem, qua memor priorum aliquot calamitatum, atque ultimæ captivitatis Babylonicæ, in quibus opem divinam sit expertus, consoletur seipsum in præsentibus malis, propter spem similis auxilii. Videntur convenire, quæ hic dicuntur, illi tempori, quo intentos Judæos in reædificationem templi, & civitatis, vicinę gentes impediebant, ac oppugnabant *m*. Vel in genere, gratiarum actionis formula hic præscribitur pro liberatione à multis periculis, & malis jam inde ab egressu de Ægypto, ad ætatem usque veluti virilem, & constantem populi sub Davide, qui regnum firmius constituit. Sic quidem Cajetanus, nec improbabiliter Mysticè psalmus congruit Ecclesiæ, & cuivis justo, ex variis tribulationibus sæpius liberato; ex iis vero, quas etiamnum patiatur, liberationem speranti, ante adversariorum excidium oranti & prædicenti. Juvat porro nunc res prosperas commemorare, quos cultoribus suis Deus, hoc ipso etiam tempore, quandoque communicat, quod priore factum est psalmo: nunc res adversas, quibus eosdem exercet, quod hic exequitur. Sic namque D animus partim erigitur ac incitatur ad virtutem, ne malis dejiciatur ac desperet; partim reprimitur, & ad humilitatem eruditur, ne insolescat; sed intelligat, ubi rerum talis vicissitudo est, solidam, perfectam, veram beatitudinem consistere non posse: verum in iis dumtaxat bonis, quibus mala nulla per se valent obsistere. Athanasius *n* nominat hunc psalmum Eucharisticum. Magna virtus in tribulatione non solum patientiam conservare, quæ *perfectum opus habet* o, sed gratias quoque agere. Ut proinde merito decimum inter graduales locum isti psalmo assignatum notet Rickelius, postq; præcedentem psalmum, qui agebat de Dei timore, quoniam decet illum, in quo est hic timor, patienter cuncta tolerare propter justitiam, ne Deus per impatientiam offendatur; reportet autem præmialem denarium *p*, ut innuit Cassiod. Sed & is, qui timore casto Deum timet, nihil non libenter pro ipso fert. Præterea, qui præ oculis habet æternas pœnas, quas meruit, & à quibus Dei beneficio liberatus est, quaslibet alias pręsentis temporis leves ęstimat. Non dissimile argumentum fuit psal. 123. Psalmus iste, quem cantavimus, inquit Augustinus, brevis est, sed sicut scriptum est de Zachæo *q*, statura brevis, sed magnus in ope-

m 1. Esd. 4. & 5. l. 2. 6. & 7.
n ad Marcellinum.
o Jacob 1. 4
p Mat. 20. 2
q Luc. 19. 3